



BIBL. DO MUSEU

N.º 121


Est. A


Tab. ✓

2

Coimbra







INDEX
THEODORI DE ALMEIDA
CONGREGATIONIS ORATORII OLISIPONENSIS
SACERDOTIS
PHYSICARUM INSTITUTIONUM
LIBRI X.

AD USUM SCHOLARUM

TOMUS II.

* COTIMPA

OLISIPONE
Ex TYPOGRAPHIA REGIA.


ANNO M. DCC. LXXXVI.

Cum facultate Regiae Curiæ Censorie.

CAPUT II.

Corporibus Coelibus speciarim.

De Natura matris.



O L I T E R A T U R E

E X T H E O D O R I A R Y

A N N O M D C I X X I V

C O M P E L L E T U R A E G R E C A

INDEX

LIBRORUM & CAPITUM,
quæ hic continentur.

LIBER II.

De Astronomia.

CAPUT I.

De Cœlo & Astris generatim.

§. I.	<i>D</i> E Sphæra Armilari.	Pag. 1.
§. II.	<i>D</i> e Corporibus Cœlestibus ge- neratim. - - - - -	7.
§. III.	<i>D</i> e Apparenti Astrorum motu.	10.
§. IV.	<i>D</i> e variis Mundi systematibus.	12.
§. V.	<i>D</i> e spatio Cœlorum. - - -	15.
§. VI.	<i>D</i> e generalibus motuum Cœlestium causis secundum Newtonianum systema.	
	18.	
§. VII.	<i>D</i> e Lineis, quas describunt Plane- tæ, in temporibus periodicis. - -	24.
	Lex Kepleri prima pro lineis curvis descri- bendis. - - - - -	30.
	Lex Secunda Kepleri pro temporibus pe- riodicis. - - - - -	33.

CAPUT II.

De Corporibus Cœlestibus speciatim.

§. I.	<i>D</i> e Solis natura. - - - - -	37.
§. II.		

INDEX.

- §. II. *De Maculis, Atmosphæra, cæteris-
que ad Solem spectantibus.* - - - 45.
§. III. *De Eclipsi Solari.* - - - 53.

CAPUT III.

De Luna.

- §. I. *De Lunæ opacitate, atque Phasibus.* 58.
§. II. *De Lunæ Gravitate versùs Tellu-
rem.* - - - - - 60.
§. III. *De Lunæ Magnitudine, Figura,
Maculis.* - - - - - 66.
§. IV. *De Lunæ motu, ejusque Eclipsi.* 69.

CAPUT IV.

De Tellure.

- §. I. sive VII. *De Telluris motu.* - - 79.
§. II. sive VIII. *Variæ circa motum Tel-
luris rationes expenduntur.* - - 84.
§. III. sive IX. *De Die, ac Noëte.* 91.
§. IV. sive X. *De Magnitudine, ac Di-
fitione Telluris.* - - - - - 94.

CAPUT V.

De cæteris Planetis.

- §. I. sive XI. *De Mercurio & Venere.* 97.
§. II. sive XII. *De Marte, Jove, & Sa-
turno.* - - - - - 102.

CA-

INDEX.

C A P U T VI.

De Cometis ac Stellis fixis.

- §. I. sive XIII. *De Cometis.* - - III.
§. II. sive XIV. *De Stellis fixis.* - 118.

C A P U T VII. sive IV.

De Phænomenis, quæ à motibus Astro-
rum oriuntur.

- §. I. *De Æstu marino.* - - - - 125.
§. II. *De Phænomenis Æstus marini.* 135.
§. III. *De Nubibus, Pluvia, ac Fontium
origine.* - - - - - 142.
§. IV. *De Fulgure, Tonitru, Fulmine,
cæteris.* - - - - - 154.
§. V. *De Terræmotibus.* - - - 157.
§. VI. *De Ventis.* - - - - - 162.

L I B E R III.

De Optica, Dioptrica, Catoptrica.

C A P U T I.

De Lucis natura, ac proprietatibus.

- §. I. *D E Natura Lucis.* - - 165.
§. II. *De Propagatione Lucis.* 178.
§. III. *De Inflexione Lucis.* - - - 181.
§. IV. *De refractione Lucis.* - - 187.

CA-

INDEX.

CAPUT II.

De Catoptrica.

- §. I. *Leges Reflexionis Lucis.* - 193.
§. II. *De Causa Reflexionis Lucis.* 197.

CAPUT III.

De Coloribus.

- §. I. *De analysi Lucis, sive de septem primigeniis coloribus.* - - - 206.
§. II. *De diversa colorum refrangibilitate.* - - - - - 212.
§. III. *De diversa colorum reflexibilitate.* - - - - - 218.
§. IV. *De immutabilitate colorum.* - 220.
§. V. *De corporibus coloratis.* - - 222.
§. VI. *De corporibus pellucidis.* - 227.
§. VII. *Observationes quædam circa colores generatim.* - - - - - 231.

CAPUT IV. sive III.

De Radiis Visualibus.

- §. I. *De oculorum structura.* - - 235.
§. II. *De Principiis Dioptricæ, in quibus Visionis scientia versatur.* - - - 238.
§. III. *De Judiciis mentis humanæ in obiectarum rerum Visione.* - - - 244.
§. IV.

INDEX.

§. IV. <i>De erroribus Visionis, qui inducuntur à Medio.</i> - - - - -	251.
§. V. <i>De Iride.</i> - - - - -	259.
§. VI. <i>De Telescopiis, Microscopiiis, cæteris.</i> - - - - -	263.

LIBER IV.

De Igne.

CAPUT I.

De Natura Ignis, ac Proprietatibus.

§. I. <i>D E Natura Ignis.</i> - - - - -	270.
§. II. <i>Quomodo Ignis accendatur & extinguatur.</i> - - - - -	275.
§. III. <i>De Flamma.</i> - - - - -	286.

CAPUT II.

De Ignis effectibus.

§. I. <i>De primo ignis effectu, sive de Calore.</i> - - - - -	291.
§. II. <i>De aequilibitate caloris.</i> -	296.
§. III. <i>De secundo ignis effectu, sive de Dilatatione.</i> - - - - -	301.
§. IV. <i>De cæteris ignis effectibus.</i> -	306.
§. V. <i>De Mensura Caloris, sive de Thermometris.</i> - - - - -	309.
§. VI. <i>Quædam de calore explicantur.</i> -	312.

INDEX.

LIBER V.

De Aere.

CAPUT I.

De Natura ac Proprietatibus Aeris.

- §. I. *D*e gravitate Aeris. - - 314.
§. II. *D*e Elasticitate Aeris. - 322.
§. III. *De cæteris aeris proprietatibus.* 329.
§. IV. *De Barometro.* - - - - 335.
§. V. *De motu aquæ in vario antliarum genere.* - - - - - 340.
§. VI. *De aliis effectibus, qui à pondere Aeris, aut illius elasticitate nascuntur.* 342.
§. VII. *De Sono.* - - - - - 345.
§. VIII. *De Auditus Organo ad percipientem sonum instructo.* - - - - 354.
§. IX. *De Harmonia ac Dissonancia.* 357.

LIBER VI.

De Aqua & Terra.

CAPUT I.

De Aqua ejusque Proprietatibus.

- §. I. *D*e Aqua, quatenus fluida est. 366.
§. II. *D*e Aqua corporibus extraneis
gravitatâ. - - - - - 376.
§. III. *De Glacie.* - - - - - 380.
§. IV. *De Aqua in statu Vaporis.* - 388.

CAPUT II.

De Terra ac Elementis generatim.

- §. I. *De Terra quatenus Elementum.* 401.
§. II. *De Elementis Cartesii.* - - 403.

P
H
Y
S
I
C
A
R
U
M

INSTITUTIONUM PHYSICARUM LIBER II.

DE ASTRONOMIA.

CAPUT I.

De Cælo, & Astris generaliter.

§. I.

De Sphæra Armillari.



Derrem amplissimam perstrin-
gendam venio, eam nimirum,
quæ omnium maximè mira
jucunditate studia ad se con-
vertit, atque rapit; itaque
quantum Physicarum Institutionum fert ra-
tio, abstersisque his, quæ non parum dis-
centibus impedimenti afferre solent, Ma-
thematicorum spinis: à descriptione Sphæ-
ræ, quæ Astronomis *Armillaris* vocari
solet, incipiam.

Tom. II.

A

Et

2 PHYSICÆ. LIB. II.

1 Est verò Sphæra Cœlestis *id*, quod hominibus undique, dum Cælum suspi-ciunt, ante oculos obversatur. Illud enim aspectantibus apparet tamquam cœrulea superficies, fulgentibus ubique corporibus con-sita, atque à nobis, quocumque simus loci, eodem modo distat. Hinc existare vul-gò creditum est concavam superficiem, in cuius centro Terra collocetur, unde & Astronomiæ periti Cælum ipsum Sphærām Cœlestem appellare consueverunt.

2 Etiam vulgò observatur, quasdam stellas in minores circulos, quasdam mo-veri in majores; atque ob eam rem puta-tur hæc Sphæra motu diurno circa axem circumvolvi; ideo duo ibi designantur Po- li, *Arcticus* scilicet & *Antarcticus*, cir-cum quos Cœlestia corpora omnia spatio circiter unius diei revolvuntur.

3 Circulus autem Cœlestis ille, qui per omnes gradus æqualiter ab utroque Polo distat, appellatur *Æquator*. Huic parallelī duo hinc indè adjiciuntur, singuli in di-stantia $23\frac{1}{2}$ graduum, qui *Tropici* vocan-tur. Alter, qui versùs Aquilonem, sive Polum Arcticum, *Tropicus Cancri*, alter, qui versùs Polum Australēm, sive Antarcticum ponitur, *Tropicus Capricornii* ap-pellatur.

4 Alii duo subsequuntur circuli Tro-pi-

picis parallelī , ac etiam *Æquatori* ; qui *Circuli Polares* dicuntur , *Arcticus* scilicet & *Antarcticus* , quorum circumferentia $23\frac{1}{2}$ gradib⁹ distat à Polis. Habemus itaque 5 circulos parallelos , qui ad angulos rectos secant Axem Telluris. Est & aliis præter illos 5 circulus , non illis parallelus , sed ad *Æquatorem* inclinatus , qui in duobus punctis illum secat , cui nomen *Ecliptica* , qui cùm angulum efficiat cum *Æquatore* gradum $23\frac{1}{2}$, utrumque tangit *Tropicum*.

In *Ecliptica* item quatuor puncta designantur , videlicet duo , in quibus secat *Æquatorem* , quæ *Æquinoctialia* dicuntur ex eo , quod cùm ibi insistit Sol , dies ubique terrarum noctibus æquantur ; alia verò duo *Eclipticæ* puncta , in quibus *Tropicos* tangit , sunt *Solstitialia* , ita vocata propterea quod cùm eō processit Sol , *Stationalis* videtur , id est , neque ad Polum accedit , nec ab eo recedit.

5 Cùm *Ecliptica* decurrit *Zodiacus* , qui Zona quædam est 16 gr. lata , per quam medium transit *Ecliptica*. Hæc autem *Ecliptica* linea est , quam Sol motu apparenti describit intra annum. Itaque cùm Sol pervenit ad punctum *Æquinoctiorum* , sive ad *Æquatorem* , quod 20 die Martii contingit , tunc adest *Æquinoctium Vernalum*.

Indè pergit ad Tropicum Cancri , quem cùm attingit , quod fit 21 die Junii , tum *Solstictium Aëstivum* est . Postea descendit ad Äquatorem , quem pértransit 22 die Septembris , in quo die erit *Aequinoctium Autumnale* : tursum descendit ad Tropicum Capricornii , quem attingit 21 Decembris , quo tempore adest *Solstictium Hiemale*.

6 Cæterū intra Zodiacum Orbem involvuntur omnium Planetarum *Orbitæ* ; quandoquidem Planetæ omnes per illud Zodiacum moventur , ut postea videbimus . Nam Ecliptica est orbita apparenſ Solis , quia per hanc lineam ille ſemper movetur . Orbitæ autem Planetarum , id est , lineæ circulares , quas in ſingulis deſcribunt periodis , Eclipticam ſecant ; quælibet in duobus punctis , quæ Nodi appellantur . Etiam hujus intersectionis anguli non ſunt æqua-les , quandoque ſunt unius gradūs , quandoque 5 , &c. ſed 8 gradus non ſuperant ; atque ob eam rem iſti etiam 8 gr. hinc indè circa Eclipticam signantur , ex quibus efficiatur *Zodiacus* .

7 Jam Stellæ omnes , quas Zodiacus complexas continent , in duodecim colliguntur partes , quas *Sydera* propriè dixeris , ſed vulgato vocabulo *Signa* & *Conſtellationes* ; ultra verò Zodiacum quæcumque Stellarum complexiones non *Signa* , ſed

tantummodo *Constellationes* appellari consuevere. Singulis autem certum ab omni ævo nomen impositum est.

Ad Zodiacum autem revertentes, ex 12 Constellationibus quæ *Signa* dicuntur, tres, quæ decurrent ab Äquatore usque ad Tropicum Canceris, vocantur *Aries*, *Taurus*, *Gemini*; tres aliæ ab hoc Tropico ad Äquatorem, *Cancer*, *Leo*, *Virgo*; ab Äquatore ad Tropicum Capricornii tres aliæ *Libra*, *Scorpio*, *Sagittarius*; denique tres ab hoc Tropico usque ad Äquatorem *Capricornius*, *Aquarius*, *Pisces* nominantur.

Sicut Äquatori suus est axis, id est, linea recta ab uno Polo in alium ducta, quæ cum Plano Äquatoris angulum rectum efformet, ita alterum habet axem Eclipticæ, scilicet lineam rectam, quæ cum plano Eclipticæ angulum efficit rectum, & circa illam in æquali distantia per orbem decurrit Ecliptica. Ergo, quæ est inter Eclipticam & Äquatorem inclinatio, eadem erit inter axem unius, & axem alterius; quapropter & angulum efficient $23\frac{1}{2}$, & axis Eclipticæ incidet in utriusque Circuli Polarum circumferentiam.

Præter sex Circulos hactenus descriptos, sunt adhuc duo, quos vocant *Colures*, qui ab uno Polo decurrent in alium, secantque ad angulos rectos Äquatorem.

Qui

Qui per *Æquinoctialia puncta transit*, *Æquinoctiorum Colurus* appellatur; qui per puncta *Solstitialia Colurus Solstitialium*. Hi octo Circuli omnes fixi sunt, atque iidem ad quemque orbis Terræ incolam.

10 Duo tandem supersunt Circuli, iisque pro locorum diversitate, in quibus spectator constituitur, mutantur, nemirūm *Horizon & Meridianus*. Horizon, ut ajunt Græci, qui Latinis *Finitor* dicitur, est circulus, qui Sphærām Cœlestēm medianā dividit, sive in hemisphæria duo partitū, nempe in superius, & inferius, atque cum observatore ad libellam constituitur; Circulus autem ille verticalis, qui Horizontem secat ad angulos rectos, ac per utrumque transit Polum, *Meridianus* appellatur.

11 Duo in Meridiano notantur puncta, videlicet supremum aliud, quod *Zenith*, aliud infimum, quod dicitur *Nadir*. Horizon alius est *naturalis*, alius *rationalis*. Horizon naturalis est circulus, qui per Telluris centrum transit, Sphærāmque dividit in hemisphærium superius & inferius. Horizon rationalis est circulus horizonti naturali parallelus, qui transit per pedes observatoris, & non secat, sed tangit globum Telluris. Unus autem ab altero Horizon tantum distat, quantum valet radius Telluris; quæ distantia ad Cœlestem

Item Sphæram translata pro nihilo habenda est.

Igitur, ut omnia summatim percurramus, 10 sunt Cœlestis Sphæræ Circuli; 6 maximi, scilicet Æquator, Ecliptica, 2 Coluri, Horizon, Meridianus: minores 4, nempe, 2 Tropici, 2 Circuli Polares. Ex his Circulis 8 sunt fixi, & iidem ad rationem cuiusque observatoris. Horizon verò diversus est, & observatori cuique peculiaris. Est enim planum effectum per Tangentem Telluris in puncto, in quo consistit observaor, si hæc Tangens in orbem feratur circa punctum contactū. In Sphæra autem 20 sunt Tangentes, quot in ejus superficie puncta: ergo in Tellure tot erunt Horizontes, quot observatores. Idem de Meridiano dicendum, quippè qui Horizontem sequitur, cum illum fecet ad angulos rectos. Motus tamen observatoris versùs Polos mutat Horizontem, quin mutet Meridianum.

§. II.

De Corporibus Cœlestibus generatim.

DUplex Cœlestium corporum ordo est: alter Stellarum, Planetarym alter. Nam quæ corpora luce propriâ lucent in Stellas, quæ verò alienâ in Pla-

Planetas referuntur. Hinc sit, ut Sol proximior nobis Stella sit, ex aliis autem Stellis quaelibet quasi Sol alter in incredibili penè distantia conspiciatur.

13 In Planetis autem, id est, in opacis corporibus ponuntur non solum ea, quibus hoc propriè nomen convenit, verum etiam Cometæ; quæ sic inter se differunt, ut Planetæ ferè in orbem circa Solem ferantur, Cometæ in ovatis lineis validè oblongis suum cursum conficiant, circa Solem in uno Elipsis foco collocatum, atque adeò Cometa in quadam dumta:at cujusque orbitæ portione sit visibilis, in reliqua vero propter distantiam nequaquam sub oculorum aspectum cadat.

14 Atque ad Planetas quod attinet, sexdecim numerantur. Ex his sex sunt *Primarii*, decem vero *Secundarii*, qui ita diciti sunt, quod circa Primarios convertantur, & *Satellites* vulgo audiunt, quia sic Primarios vel antecedant, vel subsequantur, tanquam si observare eos, ac quocumque ean, comitari jussi sint.

Primariorum is ordo est, incipiendo ab eo, qui ad Solem propriùs accedit, ut 1.^o sit Mercurius, 2.^o Venus, 3.^o Terra, 4.^o Mars, 5.^o Jupiter, 6.^o Saturnus.

15 Jam qui Secundarii dicuntur decem numerantur, nimirùm Luna circa Tellrem,

rem, 4 circa Jovem, 5 circa Saturnum in orbem acti, quibus Saturni annulus annumerandus, qui nihil aliud est, quam infinitorum satellitum congeries, qui in definita quadam distantia circa Saturnum voluntur. Ordo autem Planetarum pro eorum distantia à Sole hujusmodi est.

Distantia Planetarum à Sole.

<i>Nom. Semid.</i>	<i>Tellur.</i>	<i>Leuc.</i>	<i>Lusit.</i>
Mercurius	-	9.397	-
Venus	-	17.559	-
Tellus	-	24.275	-
Mars	-	36.989	-
Jupiter	-	126.258	-
Saturnus	-	231.576	-
			9:688.466
			18:103.860
			25:028.409
			38:135.607
			130:172.249
			238:755.242

Distantia Satellitum à Primariis.

<i>Nom. Semid.</i>	<i>Tellur.</i>	<i>Leuc.</i>	<i>Lusit.</i>
Luna	-	60	-
			62.153

Satel. Jovis. Semid. Jovis.

1. ^{us}	-	-	-	5 $\frac{2}{3}$
2. ^{us}	-	-	-	9
3. ^{us}	-	-	-	14 $\frac{1}{5}$
4. ^{us}	-	-	-	25 $\frac{2}{3}$

Satel. Saturni. Semid. annul. Saturn.

1. ^{us}	-	-	-	1 $\frac{1}{5}$
2. ^{us}	-	-	-	2 $\frac{1}{2}$
3. ^{us}	-	-	-	3 $\frac{1}{2}$
4. ^{us}	-	-	-	8
5. ^{us}	-	-	-	23

§. III.

De Apparenti Astrariorum Motu.

16 **P**rimus, qui à Philosophis dicitur Motus Apparens, ille est diurnus totius Sphæræ Cœlestis motus, intra spatiū circiter 24 horarum ab *Ortu in Occasum*, qui quidem motus omnibus Cœlestibus corporibus communis est.

17 Alter Solis est Motus Apparens, isteque proprius per Eclipticam *ab Occasu in Ortu*. Quoniam si hodie Sol primo Arietis gradui respondeat, cras 2.^o respondebit, & sic deinceps, quo modo percurret ipse intra annum 360 gradus. Horum autem contrariorum motuum ratio facilè percipiet, si quis in animo sibi singat pergere formicam ad Orientem reptando per Sphærāram, dum hæc ad Occasum convertitur circa proprium axem.

18 Tertius est Motus Apparens, Solis nimirūm *Declinatio*. Observatum est enim eum ab Æquinoctio verno usque ad Solstadium Æstivum declinare ab Æquatore versùs Aquilonem. Ab Æquinoctio vero Autumnali usque ad Hiemale Solstodium Sol ab Æquatore versùs Meridiem, siue Austrum declinat.

19 Idem in Luna Apparentes Motus observantur, ac in Sole; sed utriusque non simplex diversitas. Nam primum Sol non declinat ab Ecliptica, sed ab Äquatore; Luna verò ab Ecliptica declinat, eamque in duobus punctis secat, quæ Astronomis Nodi appellantur. Idem reliquis Planetis contingit.

20 Deinde illud Solis proprium est, quod ipse cursu proprio & apparenti singulis diebus gradum circiter 1 conficiat: Luna verò gradus circiter 13 absolvit: Martis autem, Jovis, ac Saturni motus est lentior; siquidem Mars periodicam conversionem conficit 22 mensibus, aut circiter; Jupiter annis ferè 12; Saturnus denique annis circiter 30; cùm Sol apparentem conversionem intra annum absolvat, Luna intra dies 27 $\frac{1}{2}$.

21 Neque similis Cometarum ratio est. Nam eorum motus cùm pro eorum distantia, tum pro celeritate incertus admodum videtur; sit enim per lineas elipticas valde oblongas, ideoque in quolibet periodo vel visibiles sunt, vel invisibilis Cometae prout plus minusve à Terra discedunt. Neque eorum Motus Apparens tantum, sed proprius & verus est, ut in loco dicendum.

22 Ad motum Stellarum quod attinet, præter illum apparentem & communem,

ac diurnum ab *Ortu* in *Occasum*, aliud habent apparentem & proprium ab *Occasu* in *Ortum* circa axem Eclipticæ; qui adeò tardus est, ut integrum, nisi spatio annorum 25.920, conversionem non absolvant. Præterea fortasse aliquis rotationis motus in iis est, non apparens, sed verus; sicut in Sole & Planetis; sed de his suo loco.

§. IV.

De variis Mundi systematibus.

Verum antequam rerum Cœlestium disciplinam longius producāmus, non abs re erit, celebriora, quæ ad nostram ætatem inventa sunt systemata, breviter enarrando perlustrare.

PTOLEMÆEUM.

23 Primùm igitur de Ptolemæeo syste-
mate; in quo Cœlestia corpora hoc modo
diducuntur. Primò *Tellus* sistitur in cen-
tro Universi: hanc dein Aeris Regio cir-
cumcludit; tum Aerem Ignea Regio cir-
cumlit: indè hoc ordine subsequuntur cor-
porum Cœlestium Orbitæ, 1.º Lunæ, 2.º
Mercurii, 3.º Veneris, 4.º Solis, 5.º Mar-
tis, 6.º Jovis, 7.º Saturni: postea Fir-
mamentum fingitur cœrulei instar fornicis;

in quo Stellæ sunt fixæ: postremo loco Empyreum collocatur.

ÆGYPTIACUM.

24 At cum Ægyptiis observatum esset Mercurium, ac Venerem nisi ad certas distantias à Sole non recedere, in hoc dumtaxat Ptolemæum systema emendarunt, quod hos Planetas statuerunt tamquam Solis satellites circa illum, non circa Tellurem moveri: cætera intacta tenuere.

TYPHONICUM.

25 Ægyptiorum systemati addidit Tycho-Brahe non solùm Mercurium & Venerem revolvi circum Solem, sed Martem etiam, Jovem, ac Saturnum, quippè qui sunt Solis satellites: Solem verò ipsum motu diurno, ac etiam proprio sive annuo, ferri circa Tellurem concedunt.

COPERNICANUM.

26 Primus Copernicus malluit Solem in centro Universi situm esse, omniaque circa illum moveri corpora opaca, Mercurium scilicet, Venerem, Tellurem, Martem cum Jove, ac Saturno; eorum autem motus temporibus periodicis fieri, cuique Planetæ propriis. Tellurem autem præter motum periodicum circa Solem, quem ab

Oc-

Occasu in Ortum unius anni spatio perficit, alio quoque potiri, motu nempe rotationis, quo etiam *ab Occasu in Ortum* singulis diebus movetur.

Tertio quoque illi placuit Tellurem frui motu; scilicet Parallelismi in axe, quo fit, ut quocumque loco adsit Tellus, axis ejus sibi ipsi semper parallelus sit, easdem semper in Cœlo Stellas respiciat. Addit hoc insuper, inotum quemdam inesse rotationis in hoc axe Telluris circa Eclipticæ axem, sive potius circa parallelam lineam istius axis: fieri autem ejusmodi rotationem unius axis circa aliud spatio 25:920 annorum, ut postea dicemus.

C A R T E S I A N U M.

27 Stellas totidem veluti Soles, Solemque ipsum ut Stellam quandam statuit Cartesius. Tum circa Stellas moveri Vortices subtilis cuiusdam materiæ commentus est. Circa Solem rapi perpetuo Vortice Mercurium, Venerem, Tellurem, Martem, Jovem, Saturnum. Lunæ etiam suum tribuit vorticem, quo circa Tellurem moveatur, sicut Jovis ac Saturni satellites peculiaribus vorticibus volvuntur circa *Primarios* suos; ita ut nihil Cartesius addat Copernicano systemati, quam Vortices, ut causam motricem afferat motuum, quos Copernicus invenit.

N E-

NEWTONIANUM.

28 In Newtoniano systemate nihil Copernicano additur, praeter physicam coelestis motus causam centralibus viribus tributam. Hoc autem sistema dilucidiū enucleandum.

§. V.

De spatio Cælorum.

29 Cum corpus physicum statuisselet Cartesius illud, quod triplici dimensione constaret, ac per id omne discrimen Physici, ac Mathematici corporis sustulisset, vacuum in rerum natura ullum fieri posse negavit. Cui ut opinioni refragemur, Vacuum intelligimus *Spatium*, in quo nec corpus reapse, nec ulla existit materia, licet ibi existere cum trina dimensione posset. Hinc vacuum aliud alio majus esse potest, si ibi alterum altero majus corpus physicum collocari possit. Igitur

PROPOSITIO I.

30 *Spatium Cælorum non est omnino plenum.*

Nam si plenum esset, ut ait Cartesius, Planetarum motus incredibiliter retardarentur,

tur, &c., antequam novam quisque diametrum percurreret, amitteret dimidium celeritatis suæ. Tribueret enim celeritatem fluidæ moli sibi æquali & æqualis massæ, quæ antè quiesceret: sed tunc ex legibus collisionis dimidium celeritatis amittitur: (Tom. I. n.^o 357.) ergo Planeta ut novam diametrum percurrat, dimidium amittit celeritatis; & aliquid insuper ratione frictionis. (Tom. I. n.^o 342.)

31 His quidam reponunt Planetas parvulis interstitiis abundare, unde additus ad Cœlorum fluidum sit facilis. Sed hæc ratio rei difficultatem auget potius, quam tollit. Etenim motum fluido communicabit Planeta, quod partibus solidis respondeat; erit enim huic fluido massa eadem, quæ est in partibus solidis Planetæ, ac propterea hic eam celeritatem amittet, quam fluido tribuit. Id est dimidium antiquæ celeritatis.

Præter hæc major erit attritus particularum Planetæ per fluidum transeuntis, cum sit perforatus, quam si solidus esset; augetur enim attritus, quoties vel exterioris, vel interioris superficie partes augentur (Tom. I. n.^o 342.): partes autem eo magis augentur, quod pluribus superficies interstitiis est interserta, per quæ fluidum transmeat: ergo Planeta semper celeritas

tis suæ dimidium amitteret, antequam novam percurreret diametrum.

PROPOSITIO II.

32 *Si quod in spatio Cælorum fluidum reperitur, id infinitæ propemodum raritatis erit.*

Nam raritas medii est in ratione inversa retardationis, quæ invenitur in mobili: ergo eò magis raritas augetur, quò retardatio magis minuitur: sed in motu Planetarum retardatio est infinitè parva, id est, nulla; saltem quæ nostris sensibus percipiatur: ergo raritas medii erit propemodum infinita, si spatium non sit omnino vacuum.

33 Sed vacuum omnino ponunt hoc spatium Newtoniani; etiamsi Lux, quam substantiam esse fatentur, per omnia funditur. Quæ, ut pugnare inter se videntur, ità nobis componere difficillimum. Torquetur enim mens, dum hinc cogitur vacuum fateri, illinc substantiam corpoream Lucem agnoscere. Quare ejusmodi difficultatem aliis solvendam relinquimus. Vide id quod infra objicitur 5.^o circa naturam Lucis.

§. VI.

*De generalibus motuum Cœlestium causis
secundum Newtonianum systema.*

34 **P**rimum omnium statuunt Newtoniani omnia corpora ad se mutuo tendere. Hanc autem vim in corpore moto appellant *gravitatem*; in corpore vero versus quod aliud movetur, *attractionem*; norunt enim Naturæ leges, et si legum causas ignorent.

Quidam hanc mutuam corporum gravitatem irrident, sed immerito quidem. Nam, quo modo lapis versus terram nititur, eodem potest Luna versus illam tendere, Satellites versus Primarios Planetas, Primarii versus Solem, hic vicissim versus illos, ut si Corpora omnia Cœlestia sibi relinquerentur, per semetipsa in unam motum confluarent. Projectio vero sive motus quilibet eorum impressus, dum eis vires centrifugas communicat, in circularibus, vel in ovatis lineis retinet. Sit igitur

PROPOSITIO I.

35 *Omnia Corpora Cœlestia gravitate suâ versus alia tendunt.*

Nam

Nam nequit corpus motum à Tangente declinare , nisi ad latus jaceat vis aliqua , quæ illud à linea recta detrudat , ac versùs aliquod punctum pellat , vel attrahat ; dum verò corpus in girum agitatur , à Tangente declinat : ergo quando corpus in circularem lineam movetur , perpetuò versùs centrum tendit ; si verò in ovatam , versùs ejus Focum nititur : sed omnia Corpora Cœlestia , aut in circularem , aut in ovatam lineam moventur : ergo omnia tendunt versùs centrum , aut versùs ovatæ lineæ Focum . Vis autem sic tendendi *gravitas* appellatur : ergo Corpora omnia Cœlestia suapte gravitate versùs alia feruntur.

36 Hinc conficitur 1.º omnes Planetas gravitate sua tendere versus Solem ; quia nimirūm omnes à Tangente declinant versùs illum , cùm in Orbitis illum complectantur.

37 Conficitur 2.º Satellites Jovis versùs ipsum gravitate niti , sicut etiam Saturni Satellites versus Saturnum , quia circa illum volvuntur ; & Luna versus Tellurem , de qua postea.

38 Conficitur 3.º , gravitate Tellurem niti versus Lunam , quia in motu periodico etiam aliquatenus circa illam volvitur : sive potius Tellus ac Luna volvuntur simul circa centrum commune , id est , circa pun-

ctum inter Tellurem ac Lunam interjectum.
Hujusmodi autem punctum major massæ proximè accedit in ea ratione, in qua massa Telluris Lunæ superat massam.

39 Hoc ut intelligatur, sit regula lignea A B (Tab. I. Fig. I.) divisa in 72 partes æquales: in extremitate A ponatur globus T significans Tellurem, in extremitate verò B ponatur globus L Lunam significans: in divisione prima e foramen efficiatur; per quod trajiciatur clavus, ut in extremitate baculi M infigatur. His ità constitutis, si regula circa clavum moveatur, uterque circulatim globus circa foramen, tamquam circa commune centrum movebitur: quoniam verò Tellus Lunâ gravior est in ratione 71 ad 1, in hacmet ratione ponuntur distantia, ideo ponitur in divisione prima centrum commune partium 72, ut distantiae inter Tellurem & Lunam sint ut 71 ad 1. Cùm verò distantia Lunæ à Tellure sit ad 60 semidiametros Telluris, centrum commune inter Lunam & Tellurem distabit à centro Telluris $\frac{6}{7}\frac{1}{2}$, id est pars septuagesima secunda semidiametrorum 60; erit ergo distantia centri communi à centro Telluris minor semidiametro una, & à Tellure non egreditur, sed aliquantulum infra superficiem ejus invenietur, scilicet ad $\frac{1}{7}\frac{1}{2}$ semidiametros Telluris sive ad $\frac{1}{6}$ illius.

Non

40 Non solum autem Planetæ Prima-
rii gravitate feruntur in Solem , ac in Prima-
rios Secundarii , sed in se mutuò etiam ipsi
Planetæ. Nam cùm Saturnus & Jupiter
sunt in conjunctione , quia Saturnus est Jo-
ve minor , ab illo trahitur , id est , turbat-
tur in linea , quam describit , paululumque
ad Jovem accedit , donec à conjunctione
egrediatur. Jovis autem Satellites à Satur-
no turbantur in suis Orbitis , quòd ab illo
trahantur : ergo inter Corpora Cœlestia mu-
tua est , & universalis attractio.

PROPOSITIO II.

41 *Gravitas in Corporibus Cœlestibus*
sequitur massam corporis centralis.

Nimirūm , si Planetæ volvuntur circa
Solem , plus in eadem distantia attrahun-
tur , quàm si circa Jovem , Saturnum , aut
Tellurem volverentur. Etenim si lex gra-
vitatis mutuæ est generalis , ad quaslibet per-
tinet & singulas materiæ particulas : ergo
ubi plures fuerint corporis attrahentis par-
ticulæ , ibi major erit attractio : ergo gra-
vitas sive attractio , quæ Corpora Cœlestia
agitat , ut circumvolvantur , sequitur ratio-
nem massæ corporis centralis ; ut quòd ma-
jor fuerit hæc massa , eo major sit attra-
ctio.

PRO-

PROPOSITIO III.

42 Attra^ctio, sive gravitas decrescit in ratione inversa quadratorum distantiarum à corpore centrali.

Nempè, si distantia Veneris à Sole fuerit dupla distantiae Mercurii ab illo, attractio Solis super Mercurium quadrupla erit attractionis illius super Venerem: similiter si distantia Telluris à Sole fuerit tripla distantiae Mercurii, attractio Solis in Mercurio erit noncupla attractionis super Tellurem.

43 Experimento patet: sit candela in puncto A (Tab. I. Fig. 2.) eique adhibeatur charta B, cuius recipiatur umbra in plano D: si distantia chartæ fuerit ad distantiam plani, sicut 1 ad 2, umbra habebit altitudinem duplam, duplamque latitudinem, eritque quadrupla chartæ: ergo charta radios intersecat, qui in quadruplum, si ibi non esset, spatium distribuerentur: ergo lux in B erit ad lucem in D, sicut 4 ad 1. Similiter continget, si planum ad distantiam triplam transferatur, erit enim in B lux noncupla.

Ergo quoties virtus ab uno corpore in orbem, seu quoquoversùs diffunditur, idem continget, ac in luce; nam radii virtutis à corpore tamquam à centro sphæræ egressi per

Tab. I.
Fig. 2.

LIBRERIA
BIBLIOTECÀ

RATORIS

per superficiem ejus diffunduntur, eoque ratiōres sunt, quō radiorum quadratum mājus est; sunt superficies sphæræ inter se, sicut quadrata radiorum: ergo virtus à centro sphæræ egressa, ac per superficiem ejus dispersa decrescit in ratione inversa quadratorum distantiarum, seu radiorum.

PROPOSITIO IV.

44 *Motus corporis in circulum non sequitur rationem massæ corporis moti.*

Videlicet, si Mercurius in eadem, ac Venus esset distantia, uterque pariter attraheretur à Sole, et si Mercurii moles multò sit minor, quam Veneris; siquidem ablato aeris renixu, corpora, cujuscumque sint massæ, versus Terram æqualiter descendenterent: ergo etiam in æquali distantia à Sole, cujuscumque sint massæ, corpora versus illum æqualiter descederent, sive æqualiter ab illo attraherentur.

PROPOSITIO V.

45 *Centrum commune duorum corporum sese mutuò attrahentium ab eis distat in ratione inversa massarum.*

Id est, centrum commune v. g. inter Solem & Jovem plus à Jove distat, quam

à



à Sole in ea ratione , in qua massa Solis superat massam Jovis. Etenim , si hæc duo corpora mutuæ eorum attractioni relinquuntur , fortior Solis esset , quām Jovis attractio in ratione massarum : ergo major esset attractionis solaris effectus : ergo in Jove major , quām in Sole celeritas : itaque hæc corpora sibi relicta inæquali celeritate agitarentur , mutuoque conjungentur in puncto , quod in ratione massarum Soli proximus , quām Jovi accederet.

46 Hinc , dum Sol omnes simul attrahit Planetas , ab iis simul trahitur ; dumque eorum paret attractioni , aliquantulum in suo loco agitatur. Non enim in eodem spatii puncto consistit Solis centrum , sed ab eo plus minusve recedit , prout exigit attractio Planetarum. Neque verò iste sensibilis admodùm motus est , quod communè inter Solem & Planetam centrum interjectum Soli appropinquit , atque pro vario Planetarum situ mutatur.

§. VII.

De Lineis , quas describunt Planetæ in Temporibus periodicis.

47 **M**odò ad lineas , ac Orbitas Planetarum convertamus. Si Planetæ sola vi gravitatîs in Solem agitarentur per

per lineas utique rectas versus Solem descendenter, eodem prorsus modo, quo gravia sibi relicta versus Telluris centrum cœco impetu feruntur. Est enim eadem lex gravitatis pro iis erga Solem, ac pro rebus terrestribus erga Tellurem.

48 Item si sola projectione Planetæ agitarentur, nunquam à linea recta declinarent; est enim simplex linea illa, quam mobile quodcumque per simplicem causam motricem agitatus insistere debet.

49 Cùm verò Planetæ, nec per lineas rectas veluti per radios in Solem descendant, nec per Tangentes à Sole recedant, per utranque directionem simul agitantur, ut in orbem volvantur circa illum. Itaque Creator illis indidit gravitatem universalem in Solem, & per Tangentes illos projecit in primo momento creationis ab occasu in ortum: projectio in causa est, ne ad Solem descendant; nisus gravitatis ne Tangentes sequantur, ideo circumvolvuntur per curvas. Eo prorsus modo, quo globus quilibet circa corpus centrale revolvitur in experimento sequenti.

Ponatur candela H (Tab. I. Fig. 3.) Tab. I.
Fig. 3. ut Solem repræsentet, & ab uno clavo I posito ad perpendicularum super candelam suspendatur per filum globus A, qui repræsentat Planetam: hic si à perpendiculari
ver-

versus latera auferatur, nititur semper versus candelam, ita ut sibi relictus vi gravitatis in illam movetur. His ita constitutis, globus dimoveatur à perpendiculo, & projiciatur per lineam rectam A α , statim ipse in aere imitabitur motum Planetæ circa Solem, & in orbem per A B C D movebitur; quia nimirūm nisus globi versus centrum Orbitæ illum non finit abire per Tangentem: tantundem igitur evenit Planetis projectis per manum Creatoris, qui per gravitatem versus Solem coguntur perpetuò deflectere à linea recta, & curvam efformare.

50 Unde ab hac virium centralium combinatione oritur, quod modò hanc, modò aliam curvam Planeta insistat. Si vis gravitatis æqualis omnino fuerit vi centrifugæ, quæ in projectione per Tangentem involvitur, Planeta nec recedet, nec ultrius ad centrum accedet. Eritque curva circulus: si major, minorve fuerit vis centripeta, curva erit ovata; & inæqualitas virium dabit inæqualitatem distantiarum à corpore centrali in diversis curvæ locis.

51 Cæterūm Planetæ non in circularibus lineis circa Solem, sed in ovatis, vel ellipticis moventur, quarum duplex Focus est; Sol autem in uno semper Elipsis Foco ponitur. Hinc Planetæ non eandem à Sole

distantiam servant , sed huic quandoque appropinquant , ab hoc quandoque longius separantur : unde punctum illud minimæ distantiae *Peribulum* ; alterum maximæ distantiae vocatur *Aphelium*.

52 Cùm vero de Lunæ motu agitur circa Tellurem , maximæ distantiae punctum *Apogaeum* dicitur , minimæ vocatur *Perigeum*. In omni porrò Elipsi præter *Focos* punctum inter eos medium est , quod centrum Elipsis appellatur : hujuscē autem centri distantia à quolibet Elipsis Foco *excentricitas* dicta est. Hæc autem semper æqualis est differentiæ dimidio inter distantiam maximam , ac minimam. Nam ponamus à Sole distare Planetam in intervallo maximo 1000 semidiametros , in minimo 800: intervalli utriusque differentia ut 200 ; jam quod hujuscē differentiæ dimidium est , nempè 100 ipsius erit Planetæ *excentricitas*.

In Cometis Elipses sunt valdè oblongæ , & excentricæ ; in Planetis vero , præsertim in Venere , non ita se habent.

53 Atque ut perspicue , qua ratione Elipses à Planetis describi possint , intelligatur , ponamus tormentum bellicum esse in montis cacumine (Tab. 1. Fig. 4.) à quo Tab. 1. globus explodatur. Si vis esset infinita , vel Fig. 4. gravitas globi nulla , ipse Telluris Tangentem

tem sequeretur; quoniam verò gravitate suâ globus, dum projicitur, urgetur, ideo curvam sequitur, quæ plus minusve accedit ad perpendicularē, & inflectitur, prout vis projectionis major fuerit, vel minor: quoniam verò vis centrifuga, quæ in projectione involvitur semper valdè minor est gravitate, hæc ita globum urget, ut in superficiem elabatur Telluris, describendo parabolam A a.

Ergo si in projectione vis centrifuga æqualis fuerit vi centripetæ, curva descripta in circularem A b cadet, & ita globus explosus eandem semper à centro Telluris distantiam servabit, neque ejus superficiem tanget, sed circum Tellurem volvetur; atque si nullus sit renixus aeris, perpetuò circumvolvitur per lineam A, b, c, d.

54 Fac modo, non ita fortem esse projectionem, nec globum in curva ad circularem pervenire, sed ad superficiem Telluris accedere per lineam A e: aut contra, tantani esse vim projectionis, ut vis centrifuga supereret gravitatem, tunc curva A, H descripta à globo egredietur à circulari, & utrocumque modo erit ovata, quod æquilibrium desit inter duas vires centrales.

55 Tantumdem ergo eveniet in cuiuscunque Corporis Cœlestis motu circum Solēm acti (Tab. I. Fig. 5.) Sit Sol in S,
Tab. I. Fig. 5. Pla-

Planeta verò in A: sit ejus projectio justo remissior, ac talis, ut curva descripta intra circularem A M concludatur: tum motu suo Planeta ad Solem appropinquabit, donec perveniat ad Perihelium in E, isque motus erit acceleratus ab A in E, cùm semper linea attractionis S I acutum angulum efficiat cum Tangente I N, secundum quam fit projectio. Ergo maxima erit in E vis projectionis, ac proindè, quæ ibidem existit, vis centrifuga.

Ergo ibi vis centrifuga attractionis vim superabit, curva à circulo egredietur, motusque retardabitur usque ad Aphelium in A, eò quòd linea attractionis S O ubique angulum obtusum efficiat cum Tangente O R. Itaque ex diversa projectionis compositione cum attractione ovata linea oritur, modò intra circularem conclusa, modò extra illam egressa.

56 Illud verò notandum est, quòd vis attractionis in Perihelio augetur in ea ratione, in qua distantiae quadratum minuitur; vis autem centrifuga ex dupli capite: augetur, 1.^o ratione accelerationis, quæ ab Aphelio perseverat usque ad Perihelium, ità ut maxima ibi sit celeritas: 2.^o ratione diametri minoris circuli ducti à Foco tanquam centro per punctum Perihelii. Suo enim loco demonstratum est

(Lib.

(Lib. I. n.^o 417.) vim centrifugam positā eādem celeritate augeri in ratione inversa distantiarum: unde oritur, quod postea enucleabitur, scilicet attractionis incrementum ab incremento vis centrifugæ superari: ex quo fit, ut circulus ductus per Aphelium extra Elipsim, circulus verò ductus per Perielium intra illam maneat.

LEX KEPLERI PRIMA.

Pro lineis curvis describendis.

Corpore Cœlestia, quæ circa alia per Elipses volvuntur in temporibus æqualibus, non lineas æquales, sed areas describunt æquales.

57 Nam omne corpus, quod circa aliud volvitur in orbem, temporibus æqualibus describit arcus æquales, cum nulla sit ratio, cur motus acceleretur, aut retardetur: in hoc etiam circulari motu describuntur temporibus æqualibus *Areæ æquales*, nempe, si ab extremitatibus cuiuslibet arcus radii ducantur, Areæ in his, & in arcibus inclusæ (seu sectores circuli) erunt æquales. Et hoc in circulis evidens est, cum æqualitas, & similitudo arcuum, radiorum, & angulorum non possint non areas efficere æquales. At in lineis curvis, quas

Cœ-

Cœlestia Corpora describunt, illud valet,
quod generatim à Keplero traditum est in
hunc modum:

58 *Planetæ, & Cometæ in temporibus æqualibus non arcus æquales, sed æquales Areas describunt.*

Demonstratur (Tab. I. Fig. 6.) sit Sol Tab. I.
in S, Planeta in A, & projiciatur per A B, Fig. 6.
in 1.º tempore describet Aream S B A;
in 2.º tempore per vim inertiae æqualem
describeret lineam B b, si nulla ab hac li-
nea Planetarum deturbans causa esset; sed
quoniam aliunde urget in puncto B Solis
attractio, quæ valet lineam B m, fit mo-
tus compositio, unde Planeta, nec lineam
B b, nec aliam B m, sed diagonalem B D
sequitur, quæ quidem major est linea A B
temporis præcedentis; itaque motus acce-
lerabitur, atque in 2.º tempore describit
Aream S B D.

Similiter in 3.º tempore vi projectionis
percurreret Planeta lineam æqualem D d,
& vi attractionis majoris lineam D n: se-
quetur ergo diagonalem D F; sicque tem-
pore 3.º Area descripta erit S D F.

Quarto autem tempore vi projectionis
Planeta percurreret lineam æqualem F f, sed
vi majoris attractionis lineam F s: motus er-
go compositus erit per diagonalem F P, &
Area descripta in hoc tempore erit S F P.

Quod

Quod autem hujusmodi Areæ sint æquales, id patet ex basium & altitudinis æqualitate, unde efficitur æqualitas triangulorum. Quoties enim positâ eadem basi trianguli vertex communis est, vel in eadem parallela ad basim, trianguli sunt æquales: ergo triangulus S B b, ac S B D æquales sunt, cum basis S B sit communis, & vertices in parallela b D. Triangulus autem iste S B b alteri vicino S A B D æqualis est, quod sit S vertex communis, bases vero A B, & B b æquales: similiter in reliquis: ergo Area descripta in 1.^o tempore est æqualis alteri in 2.^o, licet linea B D descripta per Planetam in 2.^o tempore non sit æqualis lineæ A B descriptæ in 1.^o. Eodem modo demonstratur æqualitas triangulorum S B D, ac S D F, quia uterque est æqualis triangulo S D d, & sic deinceps: ergo Planetæ, & Cometæ in temporibus æqualibus non describent lineas æquales, sed Areas æquales.

Diagonales autem hæ pro Elipsis arcibus accipimus; quia si infinitè parvæ sint, nihil erit discriminis inter curvam Elipsis, ac ejus diagonales ità inclinatas. Atque illud etiam notandum, quod linea attractio-
nis in singulis parallelogrammis augeri debet in ratione inversa quadratorum distan-
tiarum à Foco.

59 Hinc 1.^o Arcus, seu lineæ in sin-
gu-

gulis temporibus vicissim augentur ab Aphelio usque ad Perihelium, & contrà à Perihelio usque ad Aphelium minuuntur; quia quoties altitudo Areæ triangularis est minor, major esset debet basis, ut in Areis servetur æqualitas.

60 Hinc 2.^o Tellus in Perihelio velocius fertur, quam in Aphelio; ac proinde Sol in motu apparenti velocius agitatur ab Æquinoctio Septembris ad Æquinoctium Martii, quam ab hoc Æquinoctio verno usque ad Autumnale Septembris; quia in Solsticio hyemali distantia minor est: insumit igitur Sol dies 8 $\frac{1}{2}$ minus in percurrentis 6 signis hyemalibus Zodiaci, quam in aliis Æstivis percurrentis.

LEX SECUNDA KEPLERI.

Pro temporibus periodicis.

61 Posito eodem corpore attrahente, quadrata temporum periodicorum sunt inter se, ut cubi distantiarum.

Quod isto prorsus modo se habet: ponamus distantiam Mercurii & Veneris ut 1 ad 2; fiat cubus harum distantiarum: erunt sicut 1 ad 8; jam periodicum Mercurii tempus examinetur, fiatque quadratum; si postea fiat in Venere quadratum temporis periodici, erit ad quadratum tem-

poris in Mercurio, sicut 8 ad 1: quo quidem modo cubi distantiarum sunt inter se, sicut quadrata temporum periodicorum.

62 Ut hæc lex demonstretur, notandum 1.º vires centrifugas, & centripetas in circulis esse æquales, undè mensura utique unius pro alterius mensura sumi potest.

Mensura virium centripetarum.

63 Notandum 2.º: quando vis aliqua decrescit in ratione inversa alicujus termini, per ipsum dividenda est, sicut & cum in alicujus termini ratione directa crescit per ipsummet terminum est multiplicanda. Itaque si vires attractionis in Planetis decrescant in ratione inversa quadratorum distantiarum, ut exprimantur, per hæc quadrata dividendæ sunt. Vocetur autem

major vis	- - - -	V
minor	- - - -	v
major distantia	- - - -	D
minor	- - - -	d
majus tempus period.	-	T
minus period. tempus.	t	
Quadratum majoris dist.	-	D ²
Quadrat. minoris	- - - -	d ²
Cubus maj. dist.	- - - -	D ³
Cubus minor.	- - - -	d ³
Quadr. maj. temp.	- - - -	T ²
Quadr. min.	- - - -	t ²
		Igi-

Igitur ut diversæ exprimantur attractio-
nis Solaris vires super Mercurium & Ve-
nerem, hoc modo signari possunt.

$$V:v:: \frac{1}{D^2} : \frac{1}{d^2}$$

Sed multiplicato utroque termino divi-
sionis (Numeratore scilicet , & Denomi-
natore) per distantiam , servatur eadem ra-
tio inter utrumque terminum , quæ antè ibi
erat : ergo perindè erit dicere $\frac{1}{D^2} : \frac{1}{d^2}$

ac dicere $\frac{1 \times D}{D^2 \times D} : \frac{1 \times d}{d^2 \times d}$, seu $\frac{D}{D^3} : \frac{d}{d^3}$. Id
est dividere unitatem per quadratum , ac di-
videre radicem per cubum : Exemplum in
numeris: idem est dividere radicem 3 per
cubum 27 , ac dividere unitatem 1 per qua-
dratum 9 , sic exprimendo $\frac{3}{27} = \frac{1}{9}$. Simi-
liter perindè est dividere radicem 2 per cu-
bum 8 , ac unitatem 1 per quadratum 4 ,
sic scribendo $\frac{2}{8} = \frac{1}{4}$: ergo perindè erit di-
videre unitatem per quadratum distantiæ ,
ac distantiam ipsam per cubum illius : ergo
Si $V:v:: \frac{1}{D^2} : \frac{1}{d^2}$ etiam $V:v:: \frac{D}{D^3} : \frac{d}{d^2}$

Mensura virium centrifugarum.

64 Notandum 3.^o vires centrifugas ex
C ii di-

dictis augeri in ratione distantiarum (posito eodem tempore), & minui in ratione inversa quadratorum temporis periodici (positâ eâdem distantiâ): igitur ut virium centrifugarum mensura colligatur, dividendæ sunt distantiae per quadrata temporum; ac proindè

$$V:v::\frac{D}{T^2}:\frac{d}{t^2}$$

Ergo colligitur

$$V:v::\frac{D}{D^3}:\frac{d}{d^3}::\frac{D}{T^2}:\frac{d}{t^2}$$

Ergo, omissis primis terminis, colligitur

$$\frac{D}{D^3}:\frac{d}{d^3}::\frac{D}{T^2}:\frac{d}{t^2}$$

Ergo, si in omnibus terminis omittantur numeratores, seu literæ superiores æquales, quæ significant dividenda æqualia, subducta ita erit ratio:

$$D^3:d^3::T^2:t^2$$

65 Ergo cubi distantiarum sunt ut quadrata temporum.

C A P U T II.

De Corporibus Cœlestibus speciatim.

§. I.

De Solis natura.

Quoniam Sol ob illius lucem , & etiam ob illius magnitudinem primum locum sibi vendicat inter Corpora Cœlestia , sit

P R O P O S I T I O I.

66 *Sol corpus igneum est.*

Probatur : nam omnes effectus Solis Ignis effectibus sunt similes : ergo ejusdem naturæ erunt. Quamquam enim unius alteriusve effectus similitudo cum naturæ diversitate stare possit , unam tamen eandemque naturam esse arguit omnium similitudo , atque consensus. Hæc autem similitudo indè constat , quia Ignis in majori distantia lucet , in minori calefacit , in minima etiam comburit : hæc autem in radiis Solaribus in unum collectis omnia reperiuntur : comburunt hi etiam in speculi foco , calefaciunt in majori intervallo , lucentque in omni.

Præ-

Præterea Ignis sicut & radii Solares metalla liquefacit, lapides in calcem redigit, corpora demùm vitrificat: adde quod in radio Solari septem coloris radii inveniuntur, ut in Optica dicemus, iidemque in radiis lucis ab Igne egressis conscipiuntur, qui separati per Prismata eosdem exhibent colores.

55 Similiter Ignis quorundam corporum pondus, dum in calcem redigit, augescit; & hoc item radiorum Solarium vis efficit, nisi quod ex his minor sit ponderis accessio, propterea quia cum igneis particulis heterogeneæ simul introducantur. Etiam illud radiis Solaribus cum Igne commune est, quod quibusdam corporibus phosphoream lucem, tum tribuunt, tum amissam redundunt: ergo ejusdem sunt naturæ Sol, & Ignis.

67 Ac tandem Ignis suaptè naturâ materiam postulat incendio aptam, deindeflammam, quæ elevetur, tum, qui flammæ superemineat, fumum: hæc autem in Solem cadunt, quia, ut dicemus, in eo inest quidam veluti nucleus, id est, materia ad exardescendum facilis, circum quam flamma undique accensa elevatur: fumus in maculis cernitur, quippè quæ, ut alibi ostendemus, nihil aliud sunt, quam nubeculæ, quæ in Atmosphera Solari supernant:

tant: ergo quidquid in Igne videtur, in Sole etiam agnoscitur, ut proinde ejusdem naturæ credatur.

PROPOSITIO II.

Moles Solaris est ad molem Telluris ut 1:435.025 ad 1: Pondus ut 365.412 ad 1: densitas, ut 1 ad ferè 4.

68 Etenim 1.^o Solis magnitudo ex diametro æstimanda nobis datur. Nam diameter illius est ad diametrum Telluris ferè sicut 113 ad 1.

Quo posito, dum sit quadratum illius, agnoscimus rationem superficiei illius comparatè ad superficiem Telluris; si verò superficies ducatur per diametrum, seu si fiat cubus diametros utriusque, sit moles Solaris comparatè ad Telluris molem: erit igitur superficies Solis ad superficiem Telluris sicut 12.733 ad 1, moles autem ad molen Telluris ut 1:435.025 ad 1.

69 Si materia Solis & Telluris ejusdem speciei esset, ac densitatis, eadem esset utrique ratio molis atque ponderis; hæc autem longè diversa est; pondus enim Solis est ad pondus Telluris sicut 365.412 ad 1, ut post dicemus: unde materia Solis rarior, quam Telluris est, quia pondus rationem molis non sequitur: ergo, ut cognos-

gnoscatur densitas materiæ Solaris comparatè ad densitatem materiæ in Tellure, observandum est, quantum moles Solis superet illius pondus, seu dividenda est mœles per pondus. Namque in ratione, in qua moles augetur, quin augeatur pondus, augetur & raritas corporis, sive densitas minuitur: est ergo densitas Solis ad densitatem Telluris ferè sicut 1 ad 4 scilicet 1 ad $3 + \frac{338}{365} \cdot \frac{7}{4} \frac{89}{12}$

70 Quoniam verò non defunt, quibus hæc de pondere, ac densitate Solis aliorumque Cœlestium Corporum disputatio niggatoria res omnino videatur, idcirco ean paulò pluribus demonstrandum esse duximus.

71 Quare notandum 1.^o, massam Soarem sequi rationem virtutis attrahentis, cùm gravitas sive attractio sit proprietas Materiæ communis. Unde corpora illa, quorum vis attrahens haud nota est, ponuntur habent incognitum; non secus, ac densitatem. Propterea pondus Mercurii, Veneris, ac Martis ignoratur; Solis verò, Jovis, Saturni, Telluris, etiam ac Lunæ cognoscitur.

72 Notandum 2.^o, vim centrifugam, positâ eâdem distantiâ, esse in ratione inversa quadratorum temporis periodici. Cùm au-

Autem vis centripeta , dum corpus in orbe agitatur , æqualis sit centrifugæ , consequens est hanc vim centripetam , seu *massam corporis centralis esse in ratione inversa quadratorum temporis periodici.*

73 Quare si nosse massam Solarem libeat ad rationem massæ Telluris , id ita ad calculos revocari potest. Si tantò intervallo à Sole distaret Mercurius , quantò Luna distat à Tellure , atque eodem tempore volverentur , eadem in Sole ac Tellure inesset vis attrahens , ac proindè massa.

Cùm verò Mercurii major sit distantia , quam Lunæ , per id duplici ex capite debiliior erit in Sole effectus attractionis : 1.º quia ratione distantiae augetur in Mercurio vis centrifuga , ac propterea opus habet Sol majori vi attrahente , seu massa , ut Mercurium in orbe retineat : 2.º quia vis omnis , quæ in orbem diffunditur à centro , minuitur in ratione quadrati distantiarum , & ideo Sol opus habet majori vi attrahente , ut non obstante diminutione secundum quadrata distantiarum Mercurium æqualiter attrahat , sicut anteà. Igitur quantum ex primo capite , positâ majori Mercurii distantia , cùm in orbe nequeat revolvi , quin vis attrahens augeatur ut distantia , ille seu massa hanc sequetur : vocetur itaque in his duabus corporibus attrahentibus , *Sole nimirum*

rūm ac *Tellure* massa major M , minor m ; distantia major D , minor d : indè efficietur , quod

$$74 \quad M:m::D:d.$$

75 Item vis attrahens , positâ eâdem massâ , est ut diximus in ratione inversa quadratorum distantiarum. Quamobrem , si distantia Mercurii dupla sit distantiae Lunæ , eademque sit massa in Sole , ac in Tellure , attractio esset in Mercurio ad attractionem super Lunam sicut 1 ad 4: ut igitur æqualis utrobique reddatur , oportet massam Solarem esse quadruplam massæ terrestris. Ac propterea , si eodem tempore Mercurius volveretur circa Solem , ac Luna circa Tellurem , licet ille majori intervallo distet , tum dicere possemus , majorem esse massam Solarem in ratione quadrati distantiae illius à Mercurio : quod sic exprimitur

$$76 \quad M:m::D^2:d^2.$$

77 Igitur si massæ Solaris mensuram colligere vellimus , quæ ex dupli capite superat massam Telluris , multiplicanda est ratio simplex distantiarum per earum quadratum , atque exinde efficietur massas esse sicut cubi distantiarum: quia nimirūm

$$78 \quad M:m::D:d \quad - \quad - \quad - \quad n.^{\circ} 74.$$

$$M:m::D^2:d^2 \quad - \quad - \quad - \quad n.^{\circ} 76.$$

$$\text{ergo } M:m::D^3:d^3 \quad - \quad - \quad - \quad n.^{\circ} 77.$$

Ve-

79 Verum quod hactenus est à nobis possum, volvi Mercurium eodem tempore, ac Luna, non ita se habere existimandum est, volvitur enim Luna intra $27\frac{1}{2}$ Mercurius verò intra 88 dies. Cùm autem vis centrifuga major sit, quando tempus periodicum est minus, hujus habenda ratio est. Est autem vis centrifuga (ac proinde etiam centripeta) in ratione inversa quadratorum temporis periodici: ergo per hæc quadrata dividendæ sunt vires, ut, quis verus earum sit valor, patefiat. Non igitur dimetiendæ sunt vires centrales, seu massæ per cubos distantiarum, sicut usque modo egimus dicendo $M:m::D^3:d^3$, sed hujusmodi valor dividendus est per quadrata temporum periodicorum, quia in hac ratione minuitur. Explorando igitur vim attrahentem in Sole supra Mercurium, comparatè ad vim attrahentem in Tellure supra Lunam, seu massas horum corporum attrahentium, cubi fiant distantiarum Solis à Mercurio, & Telluris à Luna, atque posteà per quadrata temporum periodicorum dividantur, & cujusque divisionis quotiens erit massa corporis centralis, quod ita exprimitur

$$80 \quad M:m:: \frac{D^3}{T^2} : \frac{d^3}{t^2}$$

81 His rationibus ducti, esse massam So-

Solis invenimus comparatè ad massam Telluris sicut 365.412 ad 1: nec mirum, si idem reddit quotiens, dum comparatur Luna cum Mercurio, ac dum cum Venere, Jove, aut Saturno comparatur: quandoquidem si in illis cubus distantiarum augentur, in eadem augentur ratione quadrata temporum periodicorum. Cùm verò in eadem ratione augentur Dividendum & Divisor, idem erit quotiens, scilicet 365.412.

82 Nec jam diu nos moretur Solis densitas, quæ cognoscetur quidem facillimè, ut diximus, si per pondus dividatur moles, nimirūm 1:435.025 per 365.412. Quotiens enim reddit Solaris materiæ raritatem, sive minorem densitatem, quæ erit ferè 4; quia si Solis massa esset $358.756\frac{1}{4}$, tunc ratio molis ad molem quater superaret rationem ponderis ad pondus, & densitas Solis esset pars quarta densitatis Telluris; verè tamen massa Solaris est major, & non ut $358.756\frac{1}{4}$, sed est 365.412, unde densitas illius superat paululum, quartam partem densitatis Telluris, ità ut si sumantur portiones æquales materiæ Solaris & Telluris, si pondus hujus sunt libræ $358.756\frac{1}{4}$ pondus materiæ Solaris erunt libræ 91.353; quia si Solis densitas densitati Telluris æqualis esset, illius pondus sive massa molem sequeretur: ergo quando præ massa augetur moles,

augentur & interstitia; ita in ea ratione fiet ratiūs.

82 Ergo si Sol cum Tellure comparetur, hoc consequemur:

	<i>Sol.</i>	<i>Tellur.</i>
Diametr.	- - - ferè 113	- - ad 1.
Superficies	- - - 12.733	- - ad 1.
Mol.	- - - 1:435.025	- - ad 1.
Mass. <i>sive pondus</i>	365.412	- - ad 1.
Densit.	- - - - - 1	- ferè ad 4.

§. II.

De Maculis, Atmosphera, ceterisque, quæ ad Solem spectant.

SOLEM verò proximè ambiunt quædam maculæ, eæque quamplurimæ quandoque cernuntur, atque motu perenni ab occasu in ortum circumvehuntur, de quarum natura disputatur diversè. Quamobrem

PROPOSITIO I.

84 *Maculæ Solares non sunt parvæ Planetæ, sive satellites Solis.*

Nam tales maculæ modò in medio Sole sæpè evanescunt, quin ad limbum ejus perveniant, modò denuò in medio illius conspicuntur: præterea ex una quandoque plu-

plures sunt, quandoque plures coguntur in unam: non sunt igitur Planetæ.

PROPOSITIO II.

85 *Maculæ Solares in superficie Solis nequaquam existunt.*

Si enim exsisterent, tempus in quo apparent, æquale esset illi, in quo è conspectu auferuntur; propterea quod dimidiam Solis superficiem semper videmus; Solares verò maculæ longiore temporis spatio, quam quo apparent, absconduntur: apparent enim ex Wolfii sententia per dies circiter 11; atque per 14 circiter occultantur: ergo in superficie Solis non consistunt.

PROPOSITIO III.

86 *Maculæ Solares sunt nubeculæ, quæ in Atmosphera Solari supernant.*

Sic enim quam rectissimè expeditur, quomodo & illæ sœpè subito apparetant, & subito ex oculis quandoque sese subducant, expeditur quoque quomodo in plures una fecetur, & ex pluribus coalefcat sœpissime una; nam hæc omnia in nubibus terrestribus eveniunt: ergo ex analogia nubeculæ existimandæ sunt illæ maculæ.

87 At, inquiunt, si hæc ita essent, in-

cer-

Certus esset in maculis Solaribus motus, quemadmodum in nubibus contingit, quæ Atmospheræ terrestri innatant; sed illæ maculæ circulares lineas sequuntur Æquatori Solis parallelas: ergo tales maculæ non sunt nubes Solari in Atmosphera supernantes. Nunquam enim observatum est Solis maculas ab uno polo Solari in alium moveri, sicut in Terræ nubibus fieri videmus.

88 Quibus antequam respondeam, quædam notanda sunt. 1.º In nubibus terræ duæ perpetuæ directiones sunt considerandæ, quarum altera peculiaris à ventis gignitur, altera communis à rotatione Telluris ortum dicit. Telluris enim Atmosphera cum ea simul in unius diei spatio circumvolvit, & leucas conficit 6480. Nubes ergo terrestres dupli directione agitabuntur. Quæ communis est ob occasu in ortum curriculum conficit singulis horæ quadrantibus leucarum 67.

Peculiaris verò ventorum velocitatem sequitur, eaque minor est. Sufficit enim, ut hac directione nubes leucam unam intra horæ quadrante percurrent in altitudinem ferè unius leucæ à Tellure, ut angulus hujus motus, qui in oculorum aciem inflectitur, 60 gradus cœlestes complectatur; atque si per tres leucas in hac altitudine moveantur, angulus in oculum retror-

tus totum hemisphærium comprehendat, & ferè 180 gradus. Hic autem met motus vi ventorum, si à Luna observaretur ferè valdè insensibilis erit, cùm vertex anguli visionis ad Lunam elevatus angulum minimum redderet.

89 2.º Motus hic nubium communis & velocissimus ab occasu in ortum sensus omnino fugiunt hominum, in terra consistentium, quippè qui simili motu abripiantur: motus verò peculiaris iis quidem percipietur, quia eò nequaquam moveantur.

90 3.º Siquis à Luna Tellurem aspiceret, is omnem, qui verè in nubibus reperitur, motum observaret, communem scilicet 67 leucarum per horæ quadrantem, motumque unius vel duarum secundùm ventorum directionem: tum etiam illum ipsum motum ab occasu in ortum certum, atque constantem esse, fierique secundùm easdem lineas Æquatori Telluris parallelas, etsi quandoque turbaretur, cùm quædam ad unum, aut duos gradus modò ad Austrum declinent, modò ad Boream.

91 4.º Hæc autem in nubibus Solaribus ità eveniunt; motus enim rotationis Solis maculas, sive nubes perpetuò & constanter abripiet ab occasu in ortum, idque ea celeritate, ut intra diem propè centrum Solis conficiant ultra 9.291 leucas.

Peculiaris verò ipsarum nubium motus, licet nec adeò velox, nec constans sit, verè tamen ab omnibus observatur, quando scilicet macula una in duas dividitur, aut plures conflantur in unam. Nequit enim motus communis eas ab invicem secernere, neque conjungere: hic verò motus et si præ motu communi ab occasu in ortum lentissimus, non ità parvus est, ut observationes omnino effugiat. Minima verò Solis aspectabilis pars inter duas divisæ maculæ partes motum valde sensibilem vi ventorum Solis nubibus permettere posset, si à superficie Solis observaretur, quemadmodùm à superficie Telluris terrestres nubes observantur.

92 His animadversis, patet contrarii argumenti refutatio. Nam incetus nubium Solarium motus motum rotationis ipsius Solis non tollit, qui velocissimus est, sed interdum turbat duntaxat, eo modo, quo observationes testantur, quando una macula in duas secernitur, aut plures in unam coalescunt. Cùm verò causa non adest peculiaris, nubes Solares perenni rotationis motu abripiuntur simul cum Atmosphera Solari. Observationes autem non huic, aut illi maculæ innituntur, sed certo ac constanti earum motui.

Præterea in adversarios argumentum re-

Tom. II.

D

tor-

torquetur. Neque enim possumus explicare quomodo maculæ figuram mutant, quomodo dividantur, & coalescant, quomodo subito evanescant, aut visibiles fiant, si superficie Solari adhæreant. Difficilius enim ea, quæ superficie cujusque corporis adhærescunt, situm mutant & figuram, quam ea, quæ illius Atmospheræ innatant.

PROPOSITIO IV.

93 *In Sole existit Atmosphera,*

Alioquin non possent nubeculæ supra superficiem Solis elevari, sicut, nec nubes terrestres possent suspensæ teneri supra Tellurem, nisi gravior ipsis aer Tellurem ambiret; sed maculæ Solares suspensæ detinentur, & à Solis superficie elevatae: ergo, &c.

Minor constat, quia ejusmodi maculæ percipi nequeunt, nisi cum egressos ab oculo visus radios, atque in superficie Solis terminatos intercipiant. Sunt enim istæ maculæ quid opacum (Tab. I. Fig. 7.); ideo videri non possunt, nisi ab *m* usque ad *n*, quod ibi tantummodo visus radios intercipiant. Quando verò progrediuntur per arcum *n E I A m*, sunt invisibiles, licet aliquantis per in conspectum cadant observatoris, per id quod nimiâ Solis claritate obruantur.

Tab. I.

Fig. 7.

PRO-

PROPOSITIO V.

94 In Sole inest nucleus materie incendio aptæ & crassæ.

Probatur 1.^o, etenim à Sole egredientur vapes, ex quibus nubeculae opacæ efficiuntur, sicut ex vaporibus à Tellure egressis nubes terrestres fiunt: ergo hujusmodi particulæ in Sole anteà continebantur: igitur non est Sol mera flamma ex ignis particulis concreta, ac proptereà nucleus habet materiæ ad exardescendum idoneæ.

Probatur 2.^o : Massa Solis ad massam Telluris est sicut 365.412 ad 1 : ergo massa Solaris rarer est massâ Telluris ferè sicut 4 ad 1 : sed flamma ignea hanc rationem raritatis non habet ad Tellurem : ergo massa Solaris non mera flamma est, sed materia inflammata. Hoc indè patet, quod flamma aere sit rarer ; aeris autem densitas est ad densitatem aquæ sicut 900 ad 1 : ergo densitas flammæ referendo ad densitatem aquæ, vel Telluris erit saltem sicut 1 ad 1000 : non poterit ergo esse sicut 1 ad 4, ut sit in Sole.

Probatur 3.^o, quia Sol densior est Saturno, ut postea videbimus; Saturnus vero corpus opacum est valde densius flam-

mâ : igitur Sol nequit esse flamma pura , sed potius corpus inflammabile , & exar-
descens.

95 Dices : Hæc si itâ se habent , ma-
teria illa Solaris inflammationi apta , tandem
extinguetur , aut saltem ut sensu percipi
possit , minuetur , quod non evenit : igitur
ea materia commentitia est.

Huic autem contradictioni responden-
dum 1.º indirectè , quòd hoc ipsum in eos
recidit , qui contrà pugnant . Nam simplex
illa atque sincera flamma perindè dissipare-
tur , præsertim in Systemate Newtoniano ,
in quo radii Solares ad Saturnum usque
ejaculantur : quinimò quis non videt ,
quòd flammarum istam multò sit faciliùs con-
servari , adhibitâ concretione materiæ in-
cendio aptæ , quam si eam tollamus .

96 Respondendum 2.º directè , quòd si-
cut Tellus , emissis ab initio mundi continuis
vaporibus , qui in nubes coguntur , eandem
usque ad hunc diem massam servat , quam ,
quo condita fuit momento , habuit , pro-
ptereà quòd per gravitatem in eam descen-
dant omnia , quæ ab ea separantur , maxi-
ma licet vi sint ejaculata ; itâ in Sole cre-
di par est .

Nam gravitas versùs Solem urget etiam
Saturnum , qui declinat à Tangente ratio-
ne Solis : ergo etiam radii Solares , qui
per

per totam Saturni regionem diffunduntur, in ipsum Solem gravitant, & descendunt. Quemadmodum enim lapis in altum projectus motu retardato ascendit, atque ut primū projectio extincta est, incipit descendere, ita in lucis particulis statim, ac projectionis vis perierit, in Solem recident. Fateor Solem in initio sensibilem in mole diminutionem habuisse, dum primò ejaculatis Solaribus radiis totam usque ad Saturnum sphæram illuminasset, sed factâ primâ lucis expensâ, eamdem semper molem nostris obtulit conspectibus, & (sicut in vaporibus Telluris) per egressum & regressum eadem semper moles in Sole, sicut etiam in Tellure servatur.

Adde, quod in Phosphoris diu lux perseverat absque materiae jacturâ, quæ sentiatur: observavi enim, vermiculum phosphoreum ad decem dies sine alimento servari, cum tamen lux perseveraret: ergo similia de Sole dici possunt.

§. III.

De Eclipsi Solari.

97 **E**Clipsis Solaris nihil aliud est, quam obscuratio Telluris per interpositionem Lunæ. Etenim Luna circa Tellu-

rem

rem volvitur: ergo inter Tellurem & Solēm quandoque invenitur: cùm autem Luna sit opaca, luminis radios à Sole egrefos, qui ad Tellurem deducuntur, intersecabit: igitur umbra Lunæ in Tellurem incidet. Unde qui loco umbrâ occupato constiterit observator, neutiquam Solem videbit, & tunc erit Eclipsis.

98 Hinc 1.^o Solis Eclipsis nunquam per universam Terram pertinebit. Nam si Solis diameter Lunæ diametro minor esset, hujus major esset umbra in ea ratione, in qua à Luna recederet, ut fit, cùm candela manum adjungimus. Tunc enim radii lucis umbram terminantes, sunt divergentes. Si verò diameter Solis major sit diametro Lunæ, hujus umbra in ea ratione minuetur, in qua à Luna recedit, quia radii umbram terminantes convergentes sunt, umbramque pyramidalem, sive potius conicam efficient.

Ergo umbra Lunæ totam terram nunquam tenere poterit, cùm diameter Solis sit ad diametrum Lunæ circiter ut 400 ad 1, ac diameter Terræ sit ad diametrum Lunæ sicut 74 ad 20.

99 Hinc 2.^o cùm ad Solem Luna propius accedit, atque à Tellure recedit, umbra Lunæ erit depresso, quia radii illam terminantes sunt convergentiores,

(Tab.

(Tab. I. Fig. 8.) neque ad Tellurem per- Tab. I.
veniet illius umbra: observator ergo in A, Fig. 8.
qui in Telluris situ respondet culpido py-
ramidis conicæ, Solis partes videbit, quæ
sunt propè ad circumferentiam, non quæ
ad ejus centrum, ut repræsentatur in figu-
ra, per id quod Luna tantummodo radios
intercipit centrales, id est, eos, qui à cen-
tro Solis emittuntur, & transitum liberum
iis, qui à centro egrediuntur. Atque ejus-
modi *Eclipsis Annularis* appellatur.

100 Hinc 3.º, cùm umbra Tellurem
contingit (Tab. I. Fig. 9.) perindè est, ut Tab. I.
cùm nubes transeundo in Telluris superfi- Fig. 9.
ciem umbram projiciunt. Utroque enim
modo, qui intra umbram concluduntur spe-
ctatores (in O) nullam Solis partem aspi-
cere possunt; propterea quod omnes inter-
cipientur Solares radii. Unde hæc est *Ecli-
psis tota*, seu, ut ajunt in scholis, *Eclipsis
totalis*.

Qui verò extra umbram sunt positi in
A, & E, nec longè distant ab illa, ali-
quam Solis partem possunt intueri, quia
aliquos radios excipiunt, non verò omnes:
& hæc est *Eclipsis ex parte*, seu, ut ajunt,
partialis. Totum illud spatium, quod um-
bram veluti corona circumdat vocatur *Per-
numbra*, id est, umbra extenuata, quæ
continenter, & sensim evanescit, eò quod

con-

continenter augeantur radii luminis, donec omnes liberè ab omni superficie Solis transcant usque ad Tellurem.

101 Hinc 4°, cùm umbra Tellurem contingit tantummodo in vertice coni, observator, tantum ad momentum aspectu Solis caret, quippè quia umbræ circulus diameter habeat minimam, & pro vertice pyramidis umbrosæ accipi possit: ergo transibit puncto temporis iste circulus, atque, cùm ultimam Luna abscondit Solis extremitatem, illicò conspectum primæ permittit. Hæc *Eclipsis* dicitur *tota sine mora*.

102 Quando vero umbrosæ pyramidis axis major est distantiâ inter Tellurem & Lunam, tum macula umbrosa, quæ in superficie Telluris invenitur, circulus est, cuius diameter plus minusve augetur, prout hæc sectio coni accedit ad basim: itaque diù observatori sub Lunari umbra, dum hæc transit, expectandum erit, ut Solem aspiciat. Quapropter ejusmodi *Eclipsim* vocant *totam cum mora*.

103 Hinc 5°, Eclipsis Solaris non ab omnibus eodem tempore observatur; quia umbra Lunaris continenter ab occidente transit ad orientem; sic enim motus est Lunæ circum Tellurem: ergo occidentalis observator Eclipsim prius animadvertet, quam orientalis.

Hinc

104 Hinc 6.^o, Eclipsis Solaris nunquam nisi in Novilunio evenire potest. Hac enim tempestate dumtaxat Luna inter Solem & Tellurem inveniri potest. Ne verò quis putet in omnibus Noviluniis Solares Eclipses accidere, quædam animadvertisenda sunt.

105 Atque illud primùm, orbitam Lunæ non in eodem esse plano, ac orbita Telluris, id est in plano Eclipticæ; sed ad hanc inclinari gradibus circiter 5: secabit ergo orbita Lunæ orbitam Solis sive Telluris, atque hæc duo sectionis puncta Nodi appellantur.

106 Deindè, cùm nodorum linea ad Solem deducitur, aut circiter, Lunæ umbram dirigi ad centrum Telluris, & tunc adesse Eclipsim: cùm verò linea Nodorum ad Solem non deducitur, Lunam aut plus elevatam transire, aut plus quam Tellus de-pressam. Itaque Lunarum umbra transit per spatiū supra aut infra Tellurem, ideoque nulla est Eclipsis.

107 Refert autem cognoscere, quando expectanda sit Eclipsis (Tab. I. Fig. 10.) Tab. I.
Quod tum obtinebimus, primū, si ex- Fig. 10.
ploretur, quænam sit via apparenſ Solis,
ſive portio Eclipticæ S S, ac linea, quam
describit Luna L L: deindè, quis fit dia-
meter apparenſ Solis, quis Lunæ, perqui-
tendum; tum etiam examinandum momen-
tum,

rum, quo hæc duo corpora invicem respondent, habitâ ratione velocioris motûs Lunæ, quàm Solis. Nam si hæc duo corpora conjungantur in Nodo N, centrum Lunæ Solis centro respondebit: si verò sibi non respondeant, nisi in linea A. E, nulla erit Eclipsis, apparebuntque Luna in E, Sol in A. Si Lunæ semidiameter cum semidiametro Solis distantiam superat inter M O, Luna obscurabit partem Solis, aderitque Eclipsis secundùm hanc quantitatem, sive secundùm id, quod duo semidiametri superant intervallum inter orbitas in punclo conjunctionis.

C A P U T III.

De Luna.

§. I.

De Lunæ opacitate, atque Phasibus.

Plura de Luna nobis innotescunt, quæ per distinctas propositiones examinare oportet. Sit igitur

P R O P O S I T I O. I.

108 *Luna est corpus opacum,*
Nam 1.^o, cùm hæc transit post Tellurem, atque hujus umbram ingreditur, lu-

mi-

mine privatur , opaca igitur erit : 2.^o quia ipsa in Novilunio obscura videtur , cùm inter Terram transit & Solem , atque ad ipsum illustratam faciem convertit , nobis vero obscuratum hemisphærium. Igitur Luna nunquam utrumque illuminatum habebit hemisphærium , propterea quod opacum sit corpus.

109 Igitur , cùm diversi Lunæ situs esse possint ad Tellurem , hemisphærium modò illustratum , modò obscuratum , modò partem unius , ac alterius partem videbimus.

Sit (Tab. I. Fig. II.) Tellus in T , Luna Tab. I. verò in pluribus orbitæ suæ locis : si sit in Fig. II. A , hemisphærium obscurum ad Tellurem vertit , qui situs *Novilunium* est ; si sit in B , quod illuminatum ad Solem semper spectat hemisphærium , ad Tellurem quoque vertitur , & tum *Plenilunium* adest.

Si verò sita sit in C vel D , observator in Tellure positus utriusque hemisphærii æquè partem videbit , & erunt *Quadraturæ*. In aliis verò locis , pars hemisphærii illuminati , quæ videtur , altera major vel minor erit. Si superat , *Luna* dicitur *Gibbosa* , si superatur , *Falcata* appellatur. Ità ante & post Novilunium semper *Falcata* , ante & post Plenilunium *Gibbosa* semper vocatur : atque hasce diversas Lunæ visiones Phases appellamus.

Item

110 Item duo puncta Novilunii & Plenilunii vocantur *Syzygiæ*. Novilunium *Conjunctionem*, Plenilunium *Oppositionem* appellamus: quod similiter ad alios pertinet Planetas. Ii enim, & Tellus, dum in eadem sunt linea versùs idem latus, comparatè ad Solem, adesse dicitur *Conjunctionis Planetarum*; cùm verò Planeta & Tellus in eadem linea sunt, sed versùs latera opposita deprehenduntur, *Planetarum oppositione est*. Si demùm linea, quæ à Sole ad unum corpus cœleste dirigitur, angulum rectum efficit cum linea, quæ ad Tellus deducitur, tum ea corpora esse dicuntur in *Quadratura*, ut de Sole ac Luna dictum est.

§. II.

De Lunæ Gravitate versùs Tellurem.

Gravitas Lunæ versùs Tellurem ejusdem generis est, ac gravitas corporum terrestrium.

111 Quod ut probetur, perquirendum ad quod spatium descendet quocumque grave terrestre intra momentum secundum, item ad quod spatium descendit Luna in eodem tempore, positâ ejus distantiâ à Tellure.

Itaque corpus terrestre liberè descendens

dens percurrit intra minutum secundum pedes 15 : ergo ejusmodi corpus in minuto 1.^o, id est ex 60 secundis composito percurreret spatium respondens quadrato hujus temporis, scilicet 3600, id est, percurreret pedes 54.000; quia 3600×15 pedes = 54.000.

112 Hoc ipsum corpus, quod in Telluris viciniis intra minutum percurrit pedes 54.000, si ad duplam à centro Telluris distantiam transferatur, minus habebit gravitatis, seu nisus, quam in Telluris viciniis; quod gravitas sive attractio ibi decrescat in ratione inversâ quadratorum distantiarum; erit ergo ibi gravitas comparatè ad gravitatem in superficie Telluris, sicut 1 ad 4.

Fac modo lapidem istum transferri ad altitudinem Lunæ, id est, ad 60 Telluris semidiametros, ibi lapidis gravitas minuetur, ut modò diximus, in ratione inversâ quadratorum distantiarum 1 & 60, id est in ratione 3600 ad 1, ac propterea percursum ibi spatium in descensu libero in eadem ratione minuetur: ergo spatium percursum intra minutum in Telluris viciniis, id est, 54.000 per 3600 dividendum est, & quotiens dabit spatium percursum in distantia Lunæ, id est, pedes 15, quia $\frac{54000}{3600} = 15$.

Nunc

113 Nunc verò videndum in curva pér
 Tab. 1. Lunam descriptâ , quantum haec versùs Tel-
 Fig. 12. lurem descendat intra minutum (Tab. 1.
 Fig. 12.) Ponamus Lunam in principio mi-
 nuti esse in A , in fine in E : ducatur per
 punctum contactûs A Tangens ad circulum
 Lunæ , & per punctum E parallela ipsi Tan-
 genti , scilicet O E , quæ parallela appella-
 tur in Trigonometria *Sinus Anguli* , linea
 autem A O sive pars radii T A intercepta
 per sinuin , appellatur *Sinusversus* : itaque

Si Luna non niteretur versùs Tellurem ,
 Tangentem sequeretur : ergo tantùm nitit-
 tur , ac descendit versùs illam , quantùm
 à Tangente recedit , id est , quantùm va-
 let Sinus versùs A O ; Luna enim in A
 dupli pulsâ directione , alterâ A O , al-
 terâ A I , sequitur lineam A E : his posi-
 tis , examinatur valor lineæ A O , & pe-
 des inveniuntur 15 : ergo tantùm descendit
 Luna versùs Tellurem intra horæ minutum ,
 quantùm , si ibi esset , lapis descenderet.

114 At , dices , posita hæc doctrina ,
 ac Gravitatis lege inter corpora omnia Cœ-
 lestia , vis attrahens inheret in corporibus Cœ-
 lestibus directè ut massa corporis attrahen-
 tis & inversè ut quadratum distantiae à cor-
 pore attracto : itaque Luna in Novilunio
 fortius à Sole attraheretur , quam à Tellu-
 re : distantia namque Solis à Luna erit ad

distantiam Telluris à Luna sicut 404 ad 1; quadrata distantiarum sunt ut 163.216 ad 1. Massa verò Solis multis partibus superat massam Telluris, quippè quæ sit ad Tellurem ut 365.412 ad 1. Igitur Luna Sollem potius, quam Tellurem subsequetur, & tamquam Solis satelles circa illum volvetur; cùm, quod Solis est incrementum ratione massæ & imminutio ratione distantiae, attractio ejus sit ad attractionem Telluris ut $2 \frac{1}{4}$ ad 1. Ergo Gravitas versus Tellurem aliam legem sequitur.

115 Respondetur: si Luna & Tellus in quiete manerent, Luna à Sole potius, quam à Tellure attraheretur; haud verò ita se habet, dum Luna cum Tellure agitatur.

Nam, cùm in quiete positum corpus est, non alia in eo lex attractionis obtinet, quam mensura massæ attrahentis, per quam augeri oportet attractio, & quadratum distantiae, per quod ea minuenda est. At verò, cùm corpus idem circum aliud flectitur, vim centrifugam nanciscitur, quæ attractionem minuit. Hæc autem sequitur in Luna rationem distantiae: quamobrem vis attractionis in Sole, quæ referendo ad Tellurem augetur in ratione massæ ipsius, non tantum minuenda est per quadratum distantiae (hæc est enim lex cujusque virtutis à centro in orbem diffundendæ) sed in-

super per distantiam minuenda est, cùm in ratione ipsius sit vis centrifuga è diametro attractioni resistens. Undè, ut, quæ sit vis attractionis colligatur, assumenda est corporis centralis massa, atque per cubum distantiae dividenda: nam sive per quadratum distantiae, deinde etiam per distantiam divididas, sive per cubum distantiae, perindè est.

116 Quæ res sic ad calculos revocari potest: distantia Solis à Luna superat distantiam Telluris ab illa sicut est 404 ad 1 ; quadrata distantiarum sunt ut 163.216 : ad 1 , quapropter minuitur actio Solis in hac ratione; sed ratione massæ augetur ut 365.412 : facta compensatione actio Solis est ad actionem Telluris ut $2\frac{1}{4}$ ad 1 ; sed ratione vis centrifugæ, quæ sequitur rationem distantiae, hæc actio Solis iterum per distantiam dividenda est, id est per $404\frac{1}{4}$: neglecta fractione dividatur actio Solis $2\frac{1}{4}$ per 404 ; erit actio Telluris ad actionem Solis sicut 180 ad 1 . Quod quidem perspicuè accedit ad Gravesandii rationes, qui Telluris ac Solis actionem ponit, sicut $180\frac{66}{100}$ ad 1 .

Propterea, ut nodus Lunæ versus Tellurem cognoscatur in tempore, in quo percurrit arcum $a i$, fit parallelogrammus $a e o i$, & linea $e i$ sive alia æqualis $a o$ sinus versus trianguli $a Te$ est mensura attractio-
nis Telluris.

Ea-

Eadem ergo operatio locum habet in Telluris Orbita (Fig. 12. *) seu in cursu Lunæ, dum Novilunium est, circa Solem. Tellus enim simul & Luna in Orbita Solari circumaguntur; ac utrique eadem vis inest centrifuga a Sole, cum harum distantiarum discrimen pro nihilo sit habendum: quidquid igitur de vi centrifuga Telluris à Sole dictum sit, id de vi Lunæ centrifuga ab illo dicendum est.

117 Sume igitur lineam AE in Orbita Telluris circum Solem æqualem lineaæ $a\alpha$ in Orbita Lunari circa Tellurem. Cum distantia $S\alpha$ sit ad distantiam $T\alpha$ sicut 404 ad 1; gradus anguli αTe erunt ad gradus anguli ASE , sicut 404 ad 1. Cum enim in circulis augmentur radii ac circuitus, in ea ratione minuuntur gradus, qui in linea æquali comprehenduntur: ergo angulus αTe valde superat angulum ASE ; atque, quod inde fluit, sinus versus in Lunæ Orbita α multum superabit sinum versum AO in Orbita Solari, tum Telluris, tum Lunæ circa Solem; itidemque Lunæ nisu in Novilunio circa Solem multo præ nisu ejusdem versus Tellurem minor est, non solum in ratione quadrati distantiarum, sed insuper in ratione distantiae: quo fit, ut attractio supra Lunam aucta in ratione massæ Solaris minuenda sit in ratione cubi distantiarum; itaque attrac-

Cio Telluris supra Lunam erit ad Solis attractionem supra eam sicut 180 ad 1, non vero sicut 1. ad $2\frac{1}{4}$

§. III.

De Lunæ Magnitudine, Figura, Maculis, &c.

118. Post Lunæ Gravitatem consideremus oportet Magnitudinem ipsius, Figuram, Maculas, quorum varia sunt genera. Atque ad Magnitudinem quod attinet, Luna utique Tellure minor est; namque diameter ejus est ad Telluris diametrum sicut 20 ad 74, ita ut Lunæ diameter leucas contineat Lusitanas 593, id est, ultra $\frac{1}{4}$ diametri Telluris. Lunæ autem moles est ad molem Telluris, sicut 1 ad 49. Utrisque vero massa non rationem molis sequitur. Tellus enim specificè gravior est, quam Luna, & massæ tam in Luna, quam in Tellure sunt sicut 1 ad 71: ergo densitas Telluris & Lunæ sunt ut 71 ad 49, ita ut si pes cubicus Telluris valet libras 71, pes cubicus Lunæ non nisi libras 49 valebit.

119. *Figura* sequitur, quæ quidem sphærica est, saltem in hemisphærio visibili, quia non solum rotunda appetet Luna, sed in phasibus cum Falcata est, vel Gibbosa, linea illuminatum terminans hemisphærium,

sem-

semper est circularis: ergo sphærica illa est.

120 *Macularum* autem aliæ sunt permanentes, aliæ transeuntes, sicut in Tellure contingit: Mare namque, licet æquè ac Terra illuminetur, subcæruleum apparet & obscurum; præterea, cùm Sol declinat, effusæ per campos montium umbræ magnitudinem mutant ac directionem, secundum Solis positionem: idem juxta evenit in Luna: ergo Maculæ transeuntes umbræ erunt montium, qui clarè per Telescopia conspicuntur; hi autem dum hinc à Sole illustrantur, projiciunt umbras in partem Soli oppositam.

121 *Maculæ* verò permanentes *Maria* passim appellantur. Creditum est enim plures in superficie Lunæ subesse lacus, qui variis nominibus ab Astronomis sunt appellati, veluti *Mare nubium*, *Mare humorum*, *Mare serenitatis*, &c. Atque istæ Lunæ partes fluidæ vulgo existimantur; quippe quæ juxta ac Maria in Tellure jacentia lœvigatam habent superficiem. Hoc autem ex eo compertum est, quod, cùm montium umbra per maculas istas effunditur, non ita dentata illa est, quam cùm alias superficie partes occupat. Illud autem fluidorum proprium est, quod superficiem habeant perlibratam, ac effusæ per illam umbræ regulares sint.

122. Prætereà exflare in hisce Lunæ partibus Maria satis suadet subobscurus Macularum color; quia lux ab eo reflexa, ut fieri solet in speculis, ad locum unum dirigitur, nec radii sic disperguntur, ut cùm à partibus solidis reflectuntur. Idem igitur in Luna contingit. Nihilominus, Keillius obscuriores in ipsis Maculis alias observavit veluti cavernas, aut foramina; quæ in Mari frustra ponuntur: sed fortassè aliundè hoc provenit.

123. Jam cùm montium altitudo, tum numerus facilè observari potest. Nam sicut ex umbra montis in Tellure altitudo ejus æstimator, ità in Luna quoque. Fit enim triangulus, cuius latera sunt longitudo umbræ, omnibus nota, ac radius Solis per summitatem montis transiens usque ad extremitatem umbræ, notus etiam cuicunque; ac angulus rectus perpendiculari montis cum umbra, & angulus acutus radii Solaris cum hoc perpendiculari. Per Trigonometriam ergo dum in triangulo latus unum agnoscitur, cum duobus adjacentibus angleis omnia patent.

124. Horum autem multitudo cognoscitur à Novilunio usque ad quadraturam, & retrorsum; quia, dum radii Solares montium dumtaxat cacumina illuminant, insulas veluti lucidas effingunt juxta obscu-

rati hemisphærii confinium, sicut etiam primo diluculo in Tellure contingit, vel juxta Solis occasum: tunc enim tantummodo montium cacumina illuminantur.

125 Præterea in partis lucidæ confinio plurimæ veluti insulæ nigræ conscipiuntur, quæ reapse sunt cavernæ, quæ nisi minus obliquis radiis non possunt illuminari. Tandem linea lucidum ab obscuro hemisphærium dividens, tortuosa est, quod indicat non lævigatam esse superficiem.

§. IV.

De motu Lunæ, ejusque Eclipsi.

126 **L**Una motu periodico circa Tellurem movetur spatio dierum 27, horarum 7, min. 43, secund. 5, quod spatium mensis periodicus vocatur, quod in eo una Lunæ conversio absolvitur perfecte. Est & aliis Lunæ motus, qui mensis Synodicus appellatur, id est, spatium ab uno in aliud Novilunum, isque mensis absolvitur in spatio 29 dierum, 12 hor.

127 Neque verò id sine causa fit, ut periodicum superet mensis iste Synodicus. Nam exacto 27 dierum spatio, Terra locum mutavit vi motū annui; quamobrem cùm eo redit Luna, ubi fuerat Novilunium, jam inter Solem & Tellurem illa non

non interest, ut aliud efficiat Novilunium,
Tab. 2. ut videre est (in Tab. 2. Fig. 13.) Nam si
Fig. 13. in puncto A Luna habuit Novilunium, cùm post dies 27 Tellus fuerit in N, Luna erit in B, finietque periodum: ita non habebit Novilunium, nisi cùm devenerit in C, in quo insumit dies circiter 2.

128 Præter hunc aliis est Lunæ motus, scilicet rotationis circa axem suum; qui conficitur intra spatum dier. 27. hor. 7., 43', 5'', sicut in mense periodico. Hinc est, quod nunquam nisi una facies Lunæ conspicitur, quamquam circa Tellurem Luna moveatur, Tellusque modò ad dextram illius, modò ad sinistram, modò post illam, modò sit antè; quia in ea ratione, in qua Luna circa Tellurem volvit, circum axem ipsa rotando eandem semper faciem vertit ad Tellurem.

129 Physicam verò hujus harmoniæ causam inter rotationis motum, atque periodum investigare oportet, non enim casu fit quod uterque motus sit in spatio 27.^d, 7.^h, 43', 5''.

Sed quantum mea fert opinio, haec à majori vi centrifugâ in hemisphærio Lunæ posteriori petenda est; si enim centrum gravitatis non coincidat cum centro molis, unum hemisphærium ob majorem densitatem, seu massam, majori vi centrifugâ præ-

ditum, plus à Tellure recedit, quām aliud; hoc verò, seu pars anterior, ob eamdem legem semper ad Terram conversa, semper conspicietur ab Telluris habitatoribus. Quod mirum non est; neque enim homogeneum corpus est Luna, neque sphæricè lœvigatum, ideoque centrum gravitatis in centrum molis cadere non potest: ac propterea, ubi primum Luna circa Tellurem volvit, plūs ab ea gravius recedit hemisphærium, & levior facies perpetuò aspiciet Tellurem.

130. Quod verò eandem in reliquis Planetis rationem valere dicant, non obstat. Hoc enim inter Primarios & Secundarios interest, quod Primarii projectionem accipiunt à Creatore, & secundum posituram, ac situm illius puncti, in quo fit percussio, (Tab. 2. Fig. 14.) axis rotationis, ejusque Tab. 2. velocitas statuitur. Si Planeta percutitur sic. Fig. 14. ut in A, in punto *e*, axis rotationis erit PQ, id est, inclinatus; si verò percutitur velut in B, in punto *i*, axis rotationis erit MN, id est horizontalis comparatè ad planum orbitæ. Si tandem percutiatur velut in C, axis erit fg. Item, si punctum percussionis valdè distat à centro, velocitas erit major, quām si punctum percussionis minus distet à centro, tunc enim rotatio erit tardissima.

In Planetis verò Secundariis, quorunq; unus

unus est Luna, nulla est projectio peculiaria, sed Primarii projectione moventur. Sit Tab. 2. Sol in S (Tab. 2. Fig. 15.) globus T Telluris. Iurem repræsentans per funiculum suspenderatur in clavo E, qui ad perpendicularum sit supra Solem, & tandem globus L repræsentans Lunam suspendatur in funiculo Telluris in puncto M. His ita constitutis, si Tellus projiciatur, Solem circuabit juxta dicta, quod suapte gravitate versus illuminatur, ac ne in illum ruat, projectione impellatur. Statim verò ac Tellus moveretur, eam Luna circuabit, licet ullius omnino projectionis expers.

Hujus autem ratio est, quia Luna Tellurem projectam sequi non poterit motu æquali & parallelo, non enim projicitur: ergo Tellurem subsequendo comitabitur, ut, dum illa progreditur, Luna deviat in locum N, ne ab illa longius distet, quam attractionis radius permittit: incipit igitur Luna motum per lineam circularem L N, & in eo perseverando Tellurem circuabit, ad eamque leviorem semper faciem convertet.

131 Neque etiam obstat motus *Librationis* in Luna; motus, inquam, ille alternus, quo ipsa modo orientalem hemisphærii posterioris, modò occidentalem fimbriam ostendit, quod Librationis motus appellatur.

tur. Siquidem Luna in motu periodico semel acceleratur, & semel retardatur; cum acceleratur, rotatio quoque debet accelerari, cum à motu periodico nascatur; sed antequam novus celeritatis gradus rotationi communicetur, aliquid moræ intercedit, & tunc posterioris hemisphærii pars conspicitur, sicut etiam in mora, quæ intercedit, quando motus periodici retardatio rotationi communicari debet.

132 Huc spectant, quæ de distantia Lunæ, de Orbita, ac Eclipsi consideranda sunt. Et distantia quidem non est semper eadem, quia in elipsi movetur. Distantia autem media est semid. 60, id est, 30 diametr. Telluris, sive 61.860 leucarum Lusitanarum. Excentricitas autem, sive differentia inter distantiam medium & maximam vel minimam valet semed. Telluris $3\frac{1}{2}$, sive leucas 3.608: unde distantia maxima, sive *Apogeum* valet semid. $63\frac{1}{2}$, minima vero $56\frac{1}{2}$.

133 Ad Orbitam Lunæ quod attinet, ea orbitæ Telluris non est parallela, sed ad illam inclinata, angulo circiter 5 grad. Valet hæc inclinatio in Syzygiis grad. 4 min. $58.\frac{1}{2}$; in Quadraturis vero grad. 5 min. $17\frac{1}{2}$, atque ex hujus vi Eclipticam secat Lunæ orbita, ut diximus, in duobus *Nodis*. Linea autem, quæ Nodos conjungit

git *Apsidum linea* vocatur : quæ quidem ità movetur, ut eadem nunc unam stellam respiciat, aliam posteà. Et indè fit, ut, pos- sit à Tellure in eodem puncto suæ Orbitæ, sive potius in eodem gradu ejusdem signi, verbi causâ, in gr. 23 Scorpionis, linea *Apsidum seu Nodorum*, tum Solem respi- cere, tum secùs. Quod si respiciat, Ecli- psis adest.

138 *Est verò Eclipsis Lunæ obscuratio,*
 Tab. 2. quæ fit, cùm illa transit post Tellurem, at-
 Fig. 16. que ejus umbram ingreditur (Fig. 16.); cùm enim Luna L sit opaca, quando per Telluris interpositionem Solis lumine privatur, ob- scura manet. Umbra autem Telluris T, licet pyramidem conicam efficiat, poterit tamen totam Lunam absorbere, & Eclipsis fiet in totum, sive, ut dicitur, *Totalis*. Cùm ve- rò pars tantùm Lunæ umbram Telluris ra- dendo ingreditur, Eclipsis est ex parte, si- ve, quòd vulgate est, *Partialis*.

139 Porrò distantia Telluris à Sole, ut varia est, sic etiam umbræ longitudi- nem mutat, ac proindè etiam in eadem distantia à Tellure, id est, in distantia se- mid. 60, sectio pyramidis erit circulus um- brosus, diametrum habens modò majorem, modò minorem. Proptereà, dum per ipsam sectionem Luna transit, tum plùs durabit Eclipsis, tum minùs. Similiter, quia Luna

mo-

modò plus distat à Tellure, modò ad eam magis accedit, sic pyramidalem umbram ingreditur, vel in majori diametro, vel in minori, atque hinc etiam fit, ut diversa sit *Eclipsis mora*.

136 Alia est etiam umbra circa umbram Telluris, quæ *Penumbra* vocatur, sicut diximus, cum de umbra Lunari locuti sumus. Si Luna fuerit intra umbram terrestrem *m n*, nullam Solis partem aspicere potest; cum verò ex hac umbra egreditur, primò limbum Solis, seu extremitatem aspicit, deinde vicissim majorem partem, donec tandem totum videat Solem: igitur, quo longius ab umbra distet spatiū hoc, quod tanquam annulus Telluris umbram circumdat, sic plus plusque illuminabitur Luna; sed tum aliquantulum obscurabitur, at non patietur *Eclipsim*, nisi ad umbram pertingat.

137 Si Tellus non esset aere circumsepta, umbra ejus per radios terminaretur, qui à circumferentia Solari egredierentur per lineas rectas, & Tellurem radendo velti Tangentes ad pyramidis umbrosæ verticem A pervenirent: sed, quoniam circumfusa aeris atmosphæra, eaque perlucida & sphærica Tellurem cingit, per hanc radii transeuntes, versus pyramidis axem refringuntur, umbramque Telluris illuminant per

per totum spatium ab A usque ad E, propterè quod totum ejusmodi spatium refractis in Atmosphæra Telluris radiis perfusum sit.

Igitur umbellæ, quæ totum obscurant spatium ab A usque ad E, eæ non ex Telluris particulis proficiscuntur, verùm ex particulis aeris, ac vaporum, qui Tellurem circumdant. Igitur, si strictè loquamur, dum Luna deficit, non per Telluris umbram ~~in~~ obscuratur, sed per umbram illius Atmosphæræ *o i;* quippè quæ per spatium semper transeat inter E & A. Siquidem strictè loquendo, umbrosa pyramis Telluris, seu potius, umbra non illuminata, nunquam pertingit ad Lunam.

138 Hinc sit ut in Eclipsi totali conspicatur Luna, & nonnunquam subrubra appareat, quia, ut in Dioptica dicemus, radii refracti sæpe colorautnr.

139 Hinc conficitur 1.º Eclipses Lunares nunquam nisi in Plenilunio contingere, quia antequam Luna ad umbram perveniat, faciem illuminatam vertit ad Tellurem, quod Plenilunium est: unde Eclipses, nisi in Syzygiis non contingunt: & Solaris quidem in coniunctione, sive Novilunio duntaxat, Lunaris in oppositione tantum, sive in Plenilunio.

140 Hinc 2.º, neque in omni Pleni-

lu-

lunio adfuturas ejusmodi Eclipses. Necesse est enim, ut umbra terrestris & Luna sibi respondeant propè Nodos (Fig. 10.), sicut de Eclipsi Solari diximus. Ut verò quænam obscuranda sit pars Lunæ aſſequamur, hæc observanda sunt: 1.^o quo loco sit Luna in puncto Plenilunii: 2.^o quantum hujusmodi punctum distet ab Ecliptica SS, per quam movetur umbra terrestris: 3.^o quantum valeat semidiameter umbræ terrestris in distantia Lunæ, & quantum Lunæ ipsius semidiameter valeat.

His observatis, si duorum semidiame-
trorum summa minus est, quæm distantia
inter centrum Lunæ, & centrum umbræ
terrestris, nulla erit Eclipsis. Sin hanc di-
stantiam superat illa summa, constabit uti-
que Eclipsis, atque pars Lunæ obscuratæ id
æquiparat, quod superest in semidiame-
trum summa supra distantiam.

141 Hinc 3.^o, ab omnibus observato-
ribus eodem temporis momento videri Lu-
næ Eclipſim. Nullus enim Lunam, quæ de-
ficiat, illuminatam cernere potest. Quod in
Eclipsi Solari fecūs evenit.

142 Hinc 4.^o, eam, quæ prior in Ecli-
psi totali obscuratur, Lunæ partem esse
orientalem. Etenim, cùm in umbram Luna
immergitur, movetur ab occasu in ortum:
quod in Eclipsi Solari contrà est; quia ea-
dem

dem ratione Luna in ortum progrediendo occidentalem Solis partem prius abscondit. Licet enim ab occasu in ortum ferantur omnia, attamen Luna, utpotè Sole, ac terrestri umbrâ celerior, parte sui orientali sive anteriori in occidentalem, seu posteriorem Solis, aut umbræ partem incurrit,

143 Neque hoc quidem est prætermitendum, quod in Christi Servatoris morte Eclipsis utpotè divinitus facta in Eclipsum naturalium numerum nequaquam venit; propterea quod tum Luna in Oppositione, siue in Plenilunio constaret, cum Sol sic ut in Novilunio obscuratus est.

144 Nunc tandem illud superest, an Atmosphærā Luna habeat, necne? Wolfius cum antiquorum plurimis affirmat; Recentiores vero negant hoc innixi fundamento, quod cum Luna stellam aliquam obducit, nequaquam ejus lucem immutat in egressu, aut in ingressu; sicut, si ipsa Atmosphærā haberet, futurum esset: radij namque lucis, qui obliquè per convexam Atmosphærā pertransirent, refringerentur, aliquantulumque ab aliis non refractis discernerentur, qui ultrà Atmosphærā excurrerent.

Hoc ut cum maximè anno 1720, die 31 Decembris observatum fuit, cum Luna Venerem abscondit; hujus enim lux nullam,

Iam, nec in Lunæ ingressu, nec egressu mutationem passa est.

Igitur Luna motu periodico, *apparenter*, circa Tellurem defertur, sed si strictè loquamur, circa centrum commune inter ipsam, & Tellurem. Hoc autem centrum ab utroque distat in ratione inversâ massarum. Cùm igitur massæ sint sicut 1 ad 71, distantia media, id est, semidiametri 60 per partes 72 dividi debent, ut centrum hoc cognoscatur, quod à Luna plus quam à Tellure distare debet in ratione 71 ad 1.

§. VII.

De Tellure.

145 **A**TQUE Planetarum etiam unus in Systemate Copernicano Tellus censetur, isque triplici motu actus; quorum prior periodicus est, five annus, quo circum Solem defertur in spatio dierum 365, horar. 5 minutorum 48, secund. 45. Ità, ex Copernicanorum placitis, in hoc met spatio, in quo specie tantum Sol circuit Eclipticam, eandem Tellus verè percurrit.

146 Hic autem motus modò acceleratur, modò retardatur: itaque cùm ad Perihelium Tellus accedit, acceleratur; cùm ab eo recedit, retardatur, ut diximus, cùm

de

de motu Solis apparenti locuti sumus. Fit autem motus iste in plano Eclipticæ, ubi Tellus 12 Signa percurrit ad oppositionem motū apparentis Solaris; quo fit, ut Aëstivo Solsticio cùm Sol apparet in Cancro, Tellus in Capricornio exsistat; similiter cùm in Aëquinoctio Autumnali Sol insistit in Libra, Tellus sit in Ariete, & sic deinceps.

147 Alter Telluris motus ille est rotationis, sive diurnus in spatio horarum 23, minut. 56, secund. 4; quod spatium *stellarum dies ab Astronomis appellatur*, quia tantumdem opus est, ut stella eadem à meridiano egressa, ad eundem redeat.

148 Tertius est motus, scilicet parallelismi, quo axis Telluris, in quocumque orbitæ loco spectetur, semper sibi manet parallelus: ità si globus in extremitate regulæ fixus collocetur, ut Tellurem significet, in orbem actam circa Solem in alia extremitate positum, Sol in quocumque orbitæ loco consideretur, Telluris axem in eodem situ spectabit; si verò axis moveatur in sensu opposito motui Telluris, ità ut conversionem ad occasum unam perficiat, dum ad ortum Tellus periodum absolvit, erit utique tunc *parallelismus in axe*. Sed hac de re posteà pluribus. Nunc, quæ ex his profiscuntur, quædam persequa-

149 Atque primū omnium lucis , atque umbræ vicissitudo consideranda , quæ dies naturalis appellatur , id est , spatium decursum postquam à Meridiano Sol egreditur , usque dum ad ipsum revertatur. Dies hic in horas dividitur 24 , quæ æquales hujus temporis sunt partes. Dies autem Solis & stellarum inter se differunt : ille hunc superat in spatio minut. 3 secund. 56.

150 Efficitur autem hoc , quia Sol , qui hodie cum stella simul in Meridiano existit , eodem cras tardiùs redibit , propterea quod ipse motu proprio (licet apparenti) ab stella recedat versùs orientem ; ideoque postquam stella per Meridianum pertransiit , Sol ad illum accedit. Ergo si motus proprius apparet Solis , sive Telluris verus , in diversis anni diebus fuerit inæqualis , inæquale quoque erit in Sole tempus post stellæ transitum : ergo in diversis anni diebus inæquale erit temporis spatium à meridie in meridiem , cùm sit in singulis anni diebus inæqualis motus Solis , sive Telluris.

151 Ergo in singulis annis tres dies æquales non reperientur ; quia à Perihelio usque ad Aphelium motus Telluris semper retardatur ; nullus ergo dies alteri æqualis : ab Aphelio usque ad Perihelium semper acceleratur ; omnes igitur inæquales inter se :

ergo solūm in punctis respondentibus, & æqualiter à Perihelio distantibus erit motus æqualitas, ac dierum: siquidem æquale erit spatium, quod stellarum diei addendum est, ut indè dies Solis efficiatur. Igitur, ut cum motu Solis convenientia horologia, inæqualem motum habeant necesse est.

152 Cæterum ejusmodi dies efficietur ex die artificiali, id est, ex spatio, in quo Sol videtur; & ex nocte, in quo tenebræ sunt; & ex crepusculis, id est, spatio inter ortum vel occasum Solis, atque tenebras interjecto.

153 Crepusculum ex eo temporis spatio metiri debet, quod Sol in descendendo ad 18 gradus infra horizonem insumit; propterea quod interea lux refracta & reflexa ex particulis Atmosphæræ per obscurum hemisphœrii circumferentiam dispergitur: ideoque in singulis anni diebus non æqualia sunt crepuscula; quia (Tab. 2. Fig. 18.)

Tab. 2. Fig. 18. si horizon sit H H, ut Sol per 18 gr. descendat, sufficit, ut deferatur per arcum H A, si verò sit horizon linea A E, ut Sol descendat per eosdem 18 gr., moveri ipsum oportet per arcum A O, cui motui confiendo valdè majus spatium est necessarium.

154 Hæc verò diei ac noctis vicissim-

tudo ex rotationis motu Telluri insito repetenda est. Nam, dum volvitur circa axem Tellus, modò ad Solem pars superficiei convertitur & illuminatur, modò obvertitur, obscuraque evadit. Sic dies, noxque perenni motu sibi succedunt.

155 Hinc oritur motus ille diurnus & apparet omnium Corporum Cœlestium; videlicet, quia dum observator cum Tellure veluti in Navi ab occasu in ortum transfertur, Solem videt sinistrorsum assurgere, posteà ad Meridianum devenire, ac dextrorsum inclinare, donec tandem infra horizontem abscondit; cùm reipsâ Sol quiescat, non verò observator, qui unâ cum Tellure motus sinistrum modò Soli latus objicit, hunc modò supra verticem aspetat, tandem ad dexteram partem habet.

156 Etiam quo pacto quatuor anni tempora invicem consequantur, patet: siquidem (Tab. 2. Fig. 19.) si Sol sit in E, & Tellus in A Æquinoctium erit vernum, quia Sol Æquatori respondet; si verò transfertur ad B, cùm axis Telluris N S sibi sit semper parallelus, Borealem polum N Sol plūs illuminabit, quām Australē S, eritque tum Æstas: deindè, si devenerit in C, Autumnale Æquinoctium aderit, Solque iterum Æquatori respondebit: denique, cùm Tellus fuerit in D, Sol polum Australē S

illuminabit, & non Borealem N, atque ita
Hiems adventat.

157 Huc quoque pertinet, cur Sol,
nisi ad gradus $23\frac{1}{2}$, non recedat; quia vi-
delicet hanc axis Telluris inclinationem ha-
bet ad planum Eclipticæ: nam, si axis Tel-
luris plano Eclipticæ perpendicularis esset,
Sol semper Äquatori responderet; si axis
huic plano esset parallelus, Sol quandoque
Äquatori responderet, quandoque vertica-
lis polo Boreali exsisteret, quandoque Au-
strali, sicque omnia vicissim Meridiani or-
bis puncta percurreret. Quoniam verò ejus-
modi axis usque ad $23\frac{1}{2}$ inclinat, nequit
in Solsticiis Polo respondere, sed Tropicis
tantum, ut potè qui eam ab Äquatore di-
stantiam habeant.

§. VIII.

*Variæ circa motum Telluris rationes
expenduntur.*

158 **N**ec longius differam, quæ con-
tra motum Telluris objiciun-
tur. Et quidem permagna inter Philosophos
jam Gáliei temporibus dissensio fuit, quie-
sceretne, an moveretur Tellus? Hujusmodi
autem motum, qui oppugnabant, dupli-
præfertim argumentorum genere niteban-
tur,

tur, quorum alterum è Sacris Scripturis petebant, utpotè quæ disertis verbis de motu Solis, ac Telluris quiete loquuntur: alterum experimento contineri videbatur; suadent enim sensus Solem moveri, non Tellurem.

159 Atque ut ab hoc exordiamur, hæc vulgò objiciebantur: Primum, si motu rotationis Tellus defertur, aves è nidis egressæ, cùm redirent, eos nequaquam invenire potuissent; interea enim nidus cum Tellure simul quam longissimè moveretur. At hoc nullo negotio diluitur, propterea quod & Tellus cum Atmosphæra, & avibus simul moventur.

160 Secundum autem illud erat: Si Tellus motu celerrimo agitur versus ortum, globus à tormento bellico explosus versus ortum longius, quam versus occasum emitteretur; alterum enim motum adaugebit Telluris motus, alterum minuet. At & hoc nullius est momenti: siquidem motus Telluris, qui globo velocitatem tribuit ut 10 v. gr. in ortum, eandem percutiendo obstatu tribuit velocitatem: ablatâ ergo hac velocitate communi, cui nullus respondet effectus, sola globo reliqua est velocitas ex nitrato pulvere orta.

Similiter, cùm Telluris motus, verso tormento bellico in occasum, ex motu glo-

bi

bi in occasum ausert ex velocitate pulveris nitrati velocitatem 10, æquali velocitate 10 obicem percutiendum admovit globo: ac proinde velocitas, ut dicitur *respectiva* eadem erit: erit ergo eadem velocitas respectiva inter globum & obstaculum, idemque effectus.

161 Tertiū quoque in hunc ferè modum: Posito motu Telluris, lapis verticalliter projectus, non in eundem locum recideret; quia projiciens cum Tellure longissimè abiret, dum ascenderat lapis, & descendit. Sed eluditur hoc quoque facilè. Nam idem tum accidere deberet in Tellure, ac in navi, in qua ob rationem motū compōsiti, lapis in eundem recidit locum.

162 Quartū denique: Posito motu Telluris in ortum, aer continuò in occasum moveretur; quia sequi Tellurem non posset; radius enim, qui à centro Telluris ad Atmosphærā pervenit, longior est illo, qui in Telluris superficie finitur. Ergo Atmosphæræ circumferentia major est circumferentiâ Telluris: ergo si aer in motu rotationis Tellurem sequitur, major est aeris velocitas, quam Telluris; ac proinde aer morabitur, cùm Tellus nequeat illi majorem suâ velocitatem tribuere.

163 Sed nihil ex his efficitur: siquidem
id
po-

potest rotationis motus in Tellure majorem Atmosphaeræ tribuere velocitatem , non alter ac funis in cylindro axis in peritrochio involutus majorem , quām ipse axis habet , scitalis velocitatem tribuit . Similiter , cū fixam in aliqua extremitate regulam baculo percutimus , alteri illius extremitati majorem tribuimus velocitatem , quām baculus habebat .

Huic radiorum diversitati quidam tribuunt perennem illum ventum , qui in Æquatore versùs occasum flare notum est , neque is vehemens : namque si nubes per leucam à Tellure distantes considerentur (særissimè enim montium cacuminibus sunt inferiores) retrogradus earum motus conficiet per horam quartam leucæ unius partem .

164 At verò , quòd ex Sacris Scripturis argumentum adversùs Telluris motum ducebatur , sic fermè erat : Non semel dictum est : « *Oritur Sol , & occidit , & ad locum suum revertitur girat per meridiem , & fleclitur ad Aquilonem.... & in circulos suos revertitur.* » Eccles. 1. 5. 6. Similiter : *Terra autem in æternum stat.* Eccles. 1. 4. & similia : ergo Terra quiescit , Sol verò movetur .

165 Cui respondendum : Sacram Scripturam communi , atque ad vulgi sensum accommodato uti sermone , sicut solet .

Quo-

Quo modo etiam illud est : *Fecit Deus duo luminaria magna ; luminare majus, ut præcesset diei , luminare minus , ut præcesset nocti , & stellas :* » cùm tamen sciamus Lunam corpus esse in cœlo minimum ; omnes autem singulosque Planetas multis partibus maiores esse præ illa. Est enim hæc ad Solem , velut 1 ad 70:316.225. Quoniam verò specie solum Luna Solem æquiparat , ea in Scripturis sicut & Sol *luminaria magna* appellantur.

166 Similiter , cùm Josue dixit : *Sol contra Gabaon ne movearis : & Scriptura , Stetitque Sol , &c.* , id communi sensu dictum est ; qua libertate & ipsi Astronomi inter ipsos utuntur , quorum illa sunt , *Solis ascensio , declinatio , Solis motus per Eclipticam , Solis egressus aut ingressus ab aliquo signo , & similia.* Sic enim res , ut apparent , efferunt : ergo hoc potissimum modo Josue loqueretur , qui nec à se ipso Astronomiam callebat , neque hanc à Deo acceperat , nec ab illius temporis hominibus. Qua de re præclarè Divus Hieronymus , *Multa , inquit , in Scripturis dicuntur juxta opinionem illius temporis , quo gesta referuntur , & non juxta quod rei veritas continebat.* » In Jerem. 28. v. 10.

167 Ego verò fateor à Sacra Romana Inquisitione vetitum , jam pridem fuisse ,
ne

ne hujusmodi opinio de motu Telluris (*dō-nec physica ejusdem demonstratio id evinceret*) pro thesi haberetur. Dedit autem id ex hypothesi posse explicari, id est, rerum naturalium effectus ex hoc fonte non incommode repetendos esse, prout à nobis in præsentia tentatur. Veruntamen, tum ex tacito Sacræ Inquisitionis permisso, quæ per omnia, imò in media urbe, hanc sinit opinionem; tum ex mox dicendis, credendum est, eam jam physicā demonstratione gaudere; vel saltem argumentis, quæ proximè ad demonstrationem physicam accedunt.

§ 168 Argumentum 1.^m Figura Telluris non est sphærica, sed sphæroidis instar versus Polos complanata, in Æquatore elevata, ità ut radius Æquatoris Polorum radium superet, excessus autem valet 6 leucas; sunt enim ejusmodi radii ferè sicut 1028 a 1034: ergo columnæ aquæ in Æquatore altior est, quam in Polis leucas 6; cum tamen sit aqua ejusdem gravitatis specificæ, & columnæ illius invicem confluentes: ergo vel aquæ æquilibritas portentosa est, vel naturalis; si portentosa, seu ut ajunt *miraculosa*, Tellurem quietescere libenter dabimus: si vero naturalis; existat aliqua causa necesse est, cur aquæ gravitas in Æquatore minuatur, atque spe-

cificè levior facta cum Polari aqua sit æquilibris: hoc autem sic eveniet, si Terra moveatur motu rotationis; quia vis centrifuga aquæ, quâ scilicet ab axe nititur recedere, ejus gravitatem minuit in Æquatore, cùm sit ei contraria; non autem in Polis, quia ibi non est recessus à centro Telluris, sed ab axe illius.

169 Argumentum 2.^m Si Tellus quiescit, omnia corpora cœlestia una cum Sole circa Tellurem moventur in spatio unius diei, quod sine infinita penè velocitate fieri non potest, in maxima præsertim stellarum distantiâ: ex hac verò velocitate incredibilem vim centrifugam oriri necesse est, cùm ipsa ex quadrato illius per massam ducto metiri debeat: ergo nisi in Tellure adsit vis centripeta sive attractionis, æqualis ipsi vi centrifugæ penè infinitæ, corpora hæc à Tangente deturbari nequeunt; ac propterea aut effectus erit sine causa, aut circularis ille Solis motus, cæterorumque cœlestium corporum miraculo adscribendus.

170 Argumentum 3.^m Est & illud huic systemati præcipuum, quod perfecta inter cœlestium corporum motûs analogia repetiatur. Nam 1.^o Minora corpora circum majora volvuntur, ab iisque attrahuntur: 2.^o corpora opaca volvuntur, lucida quiescent: 3.^o corpora omnia opaca ab occasu in

in ortum contorquentur : 4.^o omnes item Planetarum conversiones ab occasu fiunt in ortum : quæ leges , si quiescat Tellus , omnino invertuntur. Quare , si hæ rationes talis momenti esse existimantur , quæ pro evidenti demonstratione physicâ haberi possint , qualis ad loca Scriptura translate accipienda desideratur , alii viderint .

§. IX.

De Die , ac Nocte.

Cum ex motu rotationis , ut diximus , Dies ac Nox oriantur , atque ex parallelismi motu quatuor anni tempora efficiantur ; ea nunc refert inter se comparare , ut , quæ sit ratio appareat inæqualitatis diei ac noctis pro diversitate latitudinum , & mensium anni ; quod jam reddam sequentibus corollariis .

COROLLARIUM I.

171 *In Äquinoëtio ubique terrarum dies noctibus æquantur.*

Nam tunc radii Solares sequuntur planum Äquatoris : ergo circulus dividens hemisphærium illuminatum ab obscuro per utrumque transit Polum : ergo tantum temporis insumet observator in describendo se-

mi-

micirculo illuminato, quantum in obscuro: ac proinde dies noctibus æquantur (sic ut exhibet Tab. 2. Fig. 20.)

Tab. 2.
Fig. 20.

C O R O L L A R I U M II.

172 In Solstitio æstivo cum Sol Tropico respondet dies sunt noctibus majores.

Fig. 21.

Quia tunc observator (Fig. 21.) si sit versus Polum Arcticum N, majorem in hemisphærio lucido arcum describet, quam in obscuro, quia circulus utrumque secans, per Polos non transit, sed ab uno circulo Polari ad alium pergit, ut per 90 grad. à puncto Tropici perpendiculariter illuminato ubique distet. Quod si sit observator versus Polum Antarcticum S, illi Hyems erit, quia circulus ab ipso descriptus majorem in hemisphærio obscuro habebit arcum, quam in illuminato.

Fig. 22.

In Solstitio hiemali (Fig. 22.) observator versus N minorem diem habebit; majorem versus S, juxta dicta.

C O R O L L A R I U M III.

173 Observator in Æquatore per totum annum diem habebit nocti æqualem.

Etenim quomodounque inclinetur axis, circulus hemisphærium illuminatum dividens ab obscuro in æquales partes Fig. 23. dividet Æquatorem (Fig. 23.): ergo ob-

ter-

servator, qui motu diurno Æquatorem describit, tandem intra hemisphærium illuminatum versabitur, quandiu in obscuro, eruntque dies noctibus æquales.

COROLLARIUM IV.

174 *Quo major est observatoris distan-
tiæ ab Æquatore, eo major est dierum,
ac noctium inæqualitas.*

Nam tum circuli ad Æquatorem paralleli, quos motu diurno describit observator, majori inæqualitate per circumflexum dividuntur, qui à tenebris lucem secerit.

COROLLARIUM V.

175 *In Polis dies est 6 mensium, nox-
que æqualis.*

Etenim cùm Sol oritur in Æquinoctio, Horizontem circuit Æquatori parallelum, atque interim assurgit paulatim in orbem actus supra Horizontem per spiralem lineam, donec ad Tropicum perveniat in Solstitio, iisdem postea anfractibus descendit, donec sequenti Æquinoctio per Horizontem immergatur, atque alio sequenti Æquinoctio resurgat. Porro circularis iste Solis motus in hoc systemate provenit à rotationis motu, quo Tellus agitur; ascensus, ac descensus Solaris à majori vel

mi-

minori exoritur inclinatione axis, referendo ad Solares radios.

§. X.

De Magnitudine, ac Divisione Telluris.

176 **S**i sphærica esset Tellus, idem ejus esset diameter, quomodocumque ea assumeretur, sed quoniam non est sphærica, Polorum diameter minor est diametro Æquatoris in ratione 177 ad 178. Ex hac autem differentia 12 ferè leucæ Lusitanæ colliguntur; quocirca Polorum diameter valet circiter leucas 2056, diameter verò Æquatoris 2068, media 2062. Hinc circuli maximi gradus leucas Lusitanas 18 valet, si ad circulum Telluris circumfrentiam reducatur; quoniam verò ovata est linea Telluris meridionalis, curvatura ipsius non per omnia æqualis est, sed in Æquatore Meridiani plus quam versus Polos incurvantur.

Erunt ergo gradus juxta Æquatorem minores, quam versus Polos: itaque in Æquatore gradus Meridiani pedes valet 352.008; versus Polos 357.996, secundum accuratissimam Academicorum mensuram.

177 Duplex autem ejusmodi figuræ causa est. Primum enim ex motu rotationis vis

cen-

centrifuga gravitatem minuit in Æquatore, ibique maris superficies per leucas circiter $4\frac{1}{2}$ attollitur, sicut Newton, antequam gradus Meridiani examinarentur, prædixerat. Deinde, quod est huic proximum, eadem quoque vis elevationem maris auget, quia minuit etiam aquæ gravitatem, nempe quia ex legibus communibus gravitas decrescit in ratione inversâ quadratorum distantiarum à centro corporis attrahentis: ergo idem corpus in Æquatore minorem, quam in Polis gravitatem habet, propterea quod à centro plus distat: quare hujus imminutionis vi ulterius in Æquatore aqua elevabitur per leucas circiter $1\frac{1}{2}$.

178 Hoc ex pendulorum motu manifestum est: tria enim facta sunt horologia, sicut oportebat, omnino similia, tria ut conferri possent, quorum primum Parisiis mansit, alterum in Æquatorem translatum est, tertium ad Laponiam delatum. Vibrations pendulorum semper posita eadem virgæ longitudine gravitatis vim sequuntur; velociores autem in Laponia vibrationes expertæ sunt, quam Parisiis, ibique velociores, quam in Æquatore: ita ut idem tempus sufficeret ad 86.158 vibrationes Parisiis conficiendas, quod ad 86.217 in Laponia. Similiter in Æquatore minuantur: ergo ubi major est à centro distantia, ibi gravitas minor.

Sunt

179 Sunt autem, qui hanc vibrationum retardationem in Æquatore ponant in dilatatione virgæ ratione caloris; sed falsò: nam etiam dum in Æquatore aqua glacia-tur, vibrationes retardantur: præterea maxi-mâ vi caloris æstuare opus esset eam re-gionem, ut virgæ dilatatio eam efficere posset retardationem; falluntur enim, qui Æquatoris *Torridæ* nomine appellatam, ve-re Torridam esse putant; cùm ibi calor valdè temperatus sit.

Tota autem Telluris superficies in quinque Zonas dividitur, quatuor circulis Æqua-tori parallelis distinctas: quæ circa Æqua-torem decurrit inter Tropicos *Torrida* ab antiquis appellatur, qui eam ob caloris in-temperiem inhabitabilem esse putaverunt: quæ intra singulos circulos Polares conti-nentur, *Frigidæ* vocantur: duæ verò, quæ hinc indè inter Tropicos & circulos Pola-res decurrunt, *Temperatæ* dicuntur.

180 Sed, ut cujusq; loci ratio in su-perficie Telluris, vel mari, vel terra co-gnoscatur refert, quæ *Longitudo* ejus, ac *Latitudo* sit. *Longitudo* in Æquatore me-tienda à primo Meridiano, qui transit per *insulam Ferri* appellatam in *Canariis*; qui circulus ferè oram radit Africæ occiden-talem. Atque ità nobis erit initium, ubi Ve-teribus orbis terræ fines definiebantur. Da-bit

bit etiam quilibet circulus, dummodo sit
Æquatori parallelus, *Longitudinem*; iidem
namque gradus sibi respondebunt, et si in
parallelis minores sint.

181 *Latitudo* verò tum in primo Me-
ridiano, tum in quolibet alio quærenda est;
sed graduum numerus, modo versùs Po-
lum Arcticum, modo versùs Antarcticum
est ineundus, ac maxima latitudo nisi ad
90 gr. non pertinebit. Nam si ulterius pro-
gredimur, ad Æquatorem accedimus. Qua-
re hoc inter *Longitudinem*, ac *Latitudi-
nem* interest, quod hæc modò Australis sit,
modò Borealis; illa verò semper orienta-
lis, ac usque ad 360 gr. producitur, ut cir-
cumferentiæ initium, ac finis cohærent.

182 In cœlo etiam *Longitudo*, ac *La-
titudo* spectatur; sed *Longitudo* cernitur
in Ecliptica, incipiendo à primo Arietis
puncto: *Latitudo* verò versùs utrumque
Eclipticæ Polum, qui in circulis Polaribus
inveniuntur.

§. XI.

De Mercurio & Venere.

183 **M**ercurius Tellure minor est;
nam illius diameter ad dia-
metrum Telluris est sicut 848 ad 2062; ha-
bet enim Telluris diametros 2062 leucas;

Mercurius vero 848: vincit ergo Telluris diametros diametrum Mercurii tertiam partem. Moles autem Mercurii ad Telluris molem est circiter, sicut 1 ad 14. De illius massa ac densitate nihil certò definiri aut conjici potest; neque enim Satellitem habet hic Planeta, cuius attractio quantitatem massæ indicet.

184 *Distantia* illius à Sole est semid. Telluris 9.397, sive leucæ Lusitanæ 9:688.466. Linea autem, quam circum Solen describit, non est circularis, sed ovata, atque differentia inter distantiam medianam & minimam, vel maximam *Excentricitas* vocatur, quæ quidem valet semid. Telluris 1.738. Hæc autem excentricitas distantiae mediae addenda est, ut maxima colligatur, id est, *Aphelium*, & ab eadem media distantia detrahenda, ut *Perihelium* fiat.

185 *Orbita* Mercurii non cum Telluris orbita, sive cum Ecliptica cohæret, sed eam secat: utriusque inclinatio 7 circiter gr. est: Periodus autem Mercurii sit in spatio 87 dierum, horar. 23, min. 15, secund. 25. Quo fit, ut, sicut Luna, ipse quandoque inter Solem transeat & Tellurem, efficiatque Eclipsum Solarem, sed nudis oculis insensibilem; quandoque post Solem transeat: nec vero poterit longius ab eo, quam ad

28 gr. separari: nec illius phases ejusmodi sunt, ut nudis oculis percipi possint, propterea quod Solis lumine obruatur. De motu rotationis illius nihil hactenus compertum.

De Venere.

186 Quod ad Venerem spectat, distantia ejus à Sole est per semid. Telluris 17.559, quod æquale est leucis 18:103.860, atque hæc est distantia ejus media. Excentricitas autem valet semid. Telluris 124, sive leucas 127.644. Ex quo intelligitur orbitam ejus ad circulum satis accedere, cum excentricitas vix superet $\frac{1}{100}$.

187 Diametros illius aliquantulum Telluris diametro minor est, habet enim leucas 1.997: à Tellure autem differt per 65 leucas; unde illius moles paulum ab mole Telluris differt, licet hæc aliquantulum major sit illo: sunt enim inter se sicut 91.822 ad 100.000, seu circiter sicut 92 ad 100. Cæterum in figura illius notantur maculæ & maria, quæ clariss. Bianchini Lusitanorum nominibus insignivit.

188 Veneris periodus circa Solem absolvitur in spatio dierum 224, hor. 16, min. 41, secund. 32, id est, circiter 8 mensium. Motus autem rotationis in Venere fit intra dies 24, hor. 8. Inclinatio orbitæ

illius ad Eclipticam est circiter gr. $3\frac{1}{2}$, ac proinde etiam Nodos habebit.

189 Venus ergo circa Solem defertur in minori distantia, quam Tellus: ergo quandoque inter Solem & Tellurem intererit; quandoque ultra Solem in parte opposita illi, in qua Tellus exsistit: cum inter Tellurem & Solem transit, proximiùs accedit ad Tellurem; neque enim ab ea longius distat, quam leucas circiter 7:000.000. Cum autem per eandem lineam transit, sed ultra Solem, distat per 43:000.000; namque in *Conjunctione inferiori* distantia Veneris à Sole subtrahenda est de distantia Telluris ab eodem; at vero in *Conjunctione superiori*, sive *Oppositione* una alteri addenda est distantia.

190 Hinc conficitur 1.º, suas in Veneri inesse phases, sicut in Luna, quippe quae sit opaca, & non nisi unum illuminatum hemisphærium habeat: hoc ad Tellurem interdum convertit, interdum ab ea avertit: erit ergo magnitudo Veneris apprens valde major, cum nova, quam cum plena est, quia cum nova est, ejus distantia est 7, cum plena 43 leucarum milliones.

191 Conficitur 2.º: dum Venus ante discum Solarem, sive ante Solis faciem transit, partem Solis abscondi, & tum macula quædam nigra, ac rotunda mobilis

ob-

observator, cuius objectu fiet Eclipsis Solaris in parte, sicut intercedente Luna, in Novilunio contingere observamus.

192 Hoc tamen Lunæ, Venerisque Eclipsis inter se differunt, quod illa ab occasu incipit, cum fiat per Lunæ motum ab occasu in ortum; Veneris vero Eclipsis ab ortu incipit, quod per motum Veneris retrogradum efficiatur.

193 Est vero motus *Retrogradus*, quo Planetæ motu apparenti deferuntur in sensu inverso. Omnes autem (præter Solē & Lunam) motu *Directo*, id est, ab occasu in ortum convertuntur, sed observator in qualibet revolutione illos semel videt deferrī ab occasu in ortum, qui motus appellatur *Directus*; semel illos deferri videt ab ortu in occasum, qui motus *Retrogradus* appellatur; & bis *Stationarios* reperit, id est eidem stellæ respondentes. Hoc vero in quacumque conversione eventit, & in spatio quod à conjunctione ad conjunctionem decurrit, semel sunt *Directi*, semel *Retrogradi*, & bis *Stationarii*.

194 Hoc ut clarius intelligatur, sit Sol in S (Tab. 2. Fig. 24.) Venus vero in V, ac Tellus in T: stellæ vero sint in M N. Itaque quandiu Venus movetur a P, usque ad Q & R, vicissim respondet in cœlo diversis stellis ab N usque ad M, id est, ab

Tab. 2.
Fig. 24.

occasu in ortum , & *Directa* appellatur ; quandiu decurrit ab R usque O , uni eidemque stellæ respondet , & *Stationaria* dicitur. Dum autem progreditur ab O usque ad I , diversis vicissim stellis respondet , sed ab M usque ad N , ac *Retrograda* appellatur : denique quandiu progreditur ab I usque ad P eidem stellæ respondet , iterumque *Stationaria* evadit. Idem de Mercurio dicendum.

195 Quibusdam multis ab hinc annis suspicatum est , suum esse Veneri Satellitem , inter quos Cassinus recensetur , Gregorius , Schottus , Balduinus ; his tamen adhuc sub judice est .

§. XII.

De Marte , Jove , ac Saturno.

196 **M**ars , sicut cæteri Planetæ , corpore opacum est , ac sphæricum ; lumen ejus subruberum ; maculas , sicut & cæteri , habet ; quarum quædam , ut Claris Maraldius testatur , instar Solarium mutabiles sunt. Ex quo efficitur , habere ipsum atmosphærā & nubes. Quod confirmabitur , si , quando stellæ per Martem occultantur , earum lux ante , aut post dissum Martis pallescit.

Ma-

197 Magnitudo verò ejus ex diametro astimari potest, qui dimidium superat diametri Telluris; habet enim leucas 1383, dum diametros Telluris habet 2062. Jam amplitudo ejus ad Telluris amplitudinem est ciciter sicut 1 ad 4. Sunt enim moles Martis ad molem Telluris sicut 2;639:716.887 ad 8,767:302.328. De ejus massa ac densitate nihil certò compertum; nullum enim habet Satellitem, unde, quæ sit vis attrahens, sive massa, conjecturâ assequamur.

198 Distantia Martis à Sole æqualis est semidiam. Telluris 36.989 sive leucis Lusitanis 38:135.607; quæ quidem media est distantia: Excentricitas autem valet semid. Telluris 3451, sive leuc. Lusitan. 3:558.539.

199 Iltius autem Planetæ motus periodici est, qui conficitur dierum spatio 686, h̄r. 22, min. 18, secund. 27, sive circiter ratio mensium $22\frac{1}{2}$. Ejusdem verò rotato fit in spatio horar. 24, min. 40: orbi te ejus inclinatio ad Eclipticam valet gr. 1 min. 52.

200 Ex quibus efficitur, nonnunquam apparere Martem Telluri valdè proximum, longissimè nonnunquam abstare. Ità quā ex eadem Solis parte adstant Mars & Tellus, ut pro conspectu nostro Mars & Sol in oppositione sint, tunc Telluris distantia à Marte erunt leucae 13:107.198;

in conjunctione verò cum Sole , id est, quando ex altera parte Solis Tellus se offert , ex altera Mars , distantia æqualis est leuc. 63:164.016: atque hinc etiam patet, Martem nulli obnoxium esse Eclipsi , nec ullam Soli inducere posse, cum neque Telluris , neque Satellitis cujusque umbra ad ipsum perveniat , neque is unquam transeat inter nos & Solem.

De Jove.

201 Jupiter Planetarum maximus , & , quod perspicitur , sphæricus est , sed ob celerrimam rotationem in spheroidis figuram , sicut Tellus , mutatur. Diametros ejus est ad Telluris diametrum circiter sicut II ad I , valet enim leucas Lusitanas 23.50. Ejus autem amplitudo , sive moles est ad Telluris molem sicut 1479 ad I : massi verò ad massam Telluris , sicut 340 ad I densitas præ densitate Telluris minor , circiter sicut I ad 4 : liquet igitur Sole ratiorem esse hunc Planetam ; quia Telluri densitas ad densitatem Solis non pervenit ad 4 , ad densitatem Jovis superat.

202 Distantia verò Jovis à Sole non est semper eadem propter excentricitatem ejus media autem semid. Telluris valet 126.258 seu leuc. Lusit. 130:172.249. Excentricita autem valet semid. Telluris 6136 , sive leu-

ca

cas 6:326.430, quæ quidem mediae distantiæ addenda est, ut fiat *Aphelium*; deducenda verò, ut *Perihelium* colligatur. Si verò Jovis distantia à Tellure spectanda sit, tum distantia Solis à Tellure addenda est distantiae Solis à Jove, ut sic, quantum à nobis in *Conjunctione* cum Sole, assequamur. Si verò ejus distantiam à nobis, dum ipse exsistit in *Oppositione* cum Sole, necesse sit constare, unam ab alia distantiam subtrahere opus est.

203 Jovis autem motus fit periodicus ab occasu in ortum in spatio dierum 4330, horar. 8, min. 58, secund. 27, sive circiter in spatio annorum 12. Ad motum verò rotationis quod attinet, is quidem in spatio horar. 9, min. 56, sive circiter in horas 10 absolvitur.

204 Atque idem hic rotationis motus in causa est, cur interim in hoc Planeta tres patere fascias subobscuras atque parallelas cernatur, interim duas, interim $2\frac{1}{2}$; quarum quæ superior, & quæ media est, Jovem cingunt omnino; inferior non nisi dimidium cingit. De illa autem nubecula, quam in hoc astro insidere diu observavit Cassinus, quamque postea modò apparuisse, modò evanuisse constat, quid sentendum sit, Philosophorum conjecturæ sunt, non decreta. Ego verò nubem esse forsan exist-

existere ex vaporibus Jovis concretam, sicut de Marte ac Sole diximus. Sed nihil hac de re statui potest. Illud certè firmius, quod ex ea velocissima rotatione oritur Jovis raritas. Nam facit vis centrifuga Planetæ particulas ab axe separari, impeditque propterea, ne tam firmiter inter se se colligentur, sicut, si abesset rotatio, fieret.

205 Quatuor circa Jovem Lunæ sive Satellites volvuntur, iisque ab occasu in ortum, ut cætera Corpora Cœlestia. Primi Satellitis distantia valet semid. Jovis $7\frac{1}{2}$; secundi semid. 9; tertii semid. $14\frac{2}{5}$; quarti demum valet semid. $25\frac{1}{3}$. Primi satellitis periodus absolvitur intra diem 1, hor. 18, min. 27, secund. 33. Secundi periodus consummatur intra dies 3, hor. 13, min. 13, secund. 42: tertii periodus perficitur dieb. 7, hor. 3, min. 42, secund. 33: quarti periodus conficitur dieb. 16, hor. 16, min. 32., secund. 8.

206 Ejusdem Planetæ orbita ad Eclipticam inclinat per gr. 1, min. 19, secund. 10; neque alia est ratio Satellitum, quorum orbitæ modica quoque inclinatione ad Eclipticam deducuntur. Ex quo fit, ut ad conspectum nostrum Satellites in linea recta moveantur, modò à Jove recedendo, modò ad illum accedendo; sed tum antecedunt, tum subsequuntur; propterea quod

linea

cir-

circuli, quos describunt, sunt in plano Eclipticæ.

207 Fiunt autem Satellites triplici modo invisibles: 1.^o cùm ante Jovem pertranseunt, & cum eo confunduntur: 2.^o cùm post ipsum occultantur: 3.^o cùm ejus ingrediuntur umbram, atque deficiunt. Accidit nonnunquam, ut duo pro uno habeantur; quia sit uterque in eadem linea recta, quæ ad observatorem pervenit, et si in sua quisque orbita moveatur.

208 Porrò Satellitem Jovis eclipses rei Physicæ plurimum contulerunt. Ac primum quidem illud fuit hujusce rei momentum, quod cujusque loci longitudo pateat ubique terrarum; namque eodem temporis momento, quo Satellites vel immerguntur, vel ex umbra emergunt, possunt ab observatoriis Olisipone v. g. vel Romæ constitutis observari; sed hoc momentum Eclipsi respondet Olisipone horis 10, v. g. Romæ verò horis 11, 29: hinc patet, differentiam inter meridianum Olisiponensem & Romanum gradus continere $22\frac{1}{4}$; quilibet enim gradus ad Orientem antevenire faciat meridiem 4': præfertur autem ad hunc effectum Eclipsi Lunari Eclipsi Satellitum Jovis per id, quod horum tam immersio, quam emersio sit rapidior, ideoque tanto facilitius momentum ejus animadvertere possumus.

Ne-

Neque modica est ejus rei utilitas, quod etiam internoscere potest, quantum lux insumat temporis, dum à Sole ad Tellurem usque emanat; quod fit in spatio min. 8, aut circiter. Nam, ut Clar. Romerius observavit, Satellitum emersiones ex umbra Jovis, citius, quando Tellus est in conjunctione cum Jove, percipiuntur; tardius cum ea in oppositione cum Jove collocatur: hæc autem temporis mora valet min. 15' aut 16': ergo, dum lux majus spatium percurrit, plus insumit temporis, & diametro orbitæ Telluris respondet 15' aut 16': ergo radio hujus orbitæ, sive distantiæ Solis ad Tellurem respondent circiter 8.

209 Verum, sicut Jovis Perihelium & Aphelium, sicut & Perihelium Apheliumque Telluris valde differunt, ita tempora immutant, ut ob eam rem Satellitum emersiones aliquantulum citius aut tardius percipientur. Quo confirmatur doctrina de emanatione lucis, cum Satellites percipi non possint, nisi postquam lumen ab illo reflexum ad Tellurem usque pervenit.

De Saturno.

210 Planetarum ultimus est Saturnus; cuius figura sphærica; sed propter annulum, quo ipse circumdatur, aliquantulum immutata. Cum enim annulus iste ita dispo-

situs est, ut non nisi secundum crassitudinem aspiciatur ut in A (Tab. 2. Fig. 17.) Tab. 2.
sub aspectum non evenit, nisi Planeta, Fig. 17.
propterea quod exigua sit admodum crassitudo annuli. Nihil enim aliud est hic annulus, nisi cumulata quædam innumerabilium Satellitum complexio, quorum lumen confunditur, ac argenteæ superficie spe-
ciem exhibet. Cum vero annulus aliquantulum inclinatur ut in B, ac secundum fa-
ciem videtur, alatus apparet Saturnus: si-
tia idem annulus obvertitur, ut melius fa-
cies ejus perspiciatur ut in C, Saturnus
ovatus repræsentatur. Quare hujusmodi spe-
cies in dispositione annuli consistunt, cum
eadem re ipsa maneat sphærica figura Pla-
netæ.

211 Hujus diameter est ad Telluris dia-
metrum plūs, quam 10 ad 1: habet enim
leucas 20.833. Moles autem ad molem
Telluris est sicut 1.030 ad 1. Massa vero
si cum Telluris massâ comparetur, est cir-
citer 107 ad 1; densitates autem inter se
si conferas, rarissimus omnium Corporum
coelestium Saturnus apparebit: est enim den-
sitas ejus ferè ad densitatem Telluris sicut
1 ad 10: ex quo conficitur eum Sole val-
dè rariorem esse, raritas enim Saturni est
ad raritatem Solis sicut 10 ad 4; ac pro-
pterea Solem non mēram flammam esse,

ut

ut quidam putaverunt, sed materiam esse concipiendo alendoque igni aptam.

212 Jam si maculas consideremus, illæ, quæ maximè patent & mutantur, nihil aliud sunt præter umbram, quæ ab ipsius annulo efficitur. Nam cùm Saturnus à Sole secundùm superiorem faciem annuli illustratur, in ejus corpore infra annulum umbra apparet; contrà, cùm à parte inferiori illuminatur annulus, supra illum vitta nigra apparet.

Præter ejusmodi umbram tres fascias Cassinus observavit parallelas, quarum media erat exilior.

213 Quod ad distantiam ejus à Sole pertinet, ea semid. Telluris aestimatur 231.576, sive leuc. 238:775.242. Et hæc est distan-
tia media. Excentricitas autem valet semid.
Telluris 12.917, sive leuc. 13:317.616, ex
quo maximam, minimamque distantiam in
Aphelio, ac Perihelio colligere possumus,
modò addendo excentricitatem, modò eam
deducendo.

214 Conficitur autem Saturni periodus intra dies 10. 749, hor. 7, 21' 50'', sive cir-
citer annis 30: de istius Planetæ rotatio-
ne, nihil hactenùs repertum. Sed si con-
jecturis uti fas est, ea velocissima est ra-
tione raritatis ipsius: nam rotatio Telluris
est intra 24 horas, Jovis intra 10; velo-
ci-

citas ergo plusquam dupla, & raritas Jovis quadratum sequitur: igitur si raritas Saturni decies superat raritatem Telluris, velocitas ipsius plusquam ter superabit velocitatem Telluris; vis enim centrifuga orta à rotatione inducit raritatem. Sed hoc non nisi mera conjectura est. Orbita autem ejus ad Eclipticam inclinatur per gr. $2\frac{1}{2}$.

215 Hunc quinque Satellites subsequuntur: prioris à centro Saturni distantia est semid. annuli $1\frac{4}{5}$; secundi $2\frac{1}{2}$; tertii $3\frac{1}{3}$, quarti 8; quinti denique semidiametri sunt 23.

216 Inaequales quoque sunt ex lege Kepleri Satellitum conversiones, ut quadrata temporum sint inter se, sicut cubi distanciarum. Fit igitur primi periodus inter 1 d. 21 hor. 18' 27"; periodus secundi 2 d, 17 hor. 44' 22"; tertii periodus conficitur intra 4 d, 12 hor. 25' 12"; quarti periodus absolvitur intra 15 d, 22 hor. 34' 38"; quintum deinceps intra 79 d, 7 hor. 47".

§. XIII.

De Cometis.

217 Circa Cometarum naturam multi perperam hallucinati sunt. His nimis ex Aristotelis sententia vapores cre-

credebantur, qui è terra ascendentes, & in medio aeris accenduntur; quæ opinio meritò irridenda, quod fieri non possit, ut ad Cometarum altitudinem usque vapores attollantur; neque certos, ac constantes sequantur eorum motus.

Ab hoc parum dissentit Hevelius, aliique, qui eos existimaverunt vapores esse Planetarum accensos, aut æthereæ regionis procreationes, in quibus & Keplerus recensetur. Alii nubeculas esse à Sole illustratas statuerunt; quæ hominum deliramenta abjicienda esse ostendent, quæ sequuntur. Igitur

PROPOSITIO I.

218 *Cometæ sunt corpora quædam à Deo creata à mundi initio, quæ quidem per elipses valdè oblongas moventur; atque ob eam rem aliquando videntur, aliquando propter incredibilem à Terra distantiam invisibles fiunt.*

Probatur: nam Cometæ certam statis temporibus periodum in conficiendis suis cursibus observant: ergo tamquam Planètæ considerandi sunt.

Enim verò illud potissimum ad nostram usque ætatem erroris causa stetit, quod ob longissimas periodos idem observator eundem

dem Cometam iterum observare non posset. Hinc repentini semper majoribus nostris extiterant eorum exortus, quod nunquam expectabantur. Alia quoque ratio erat, cur Cometarum reditus ignorarentur; quia nimis, et si finita periodo ad idem redirent cœli punctum, si observator in Sole constitutus esset, tamen quia jam Tellus situm mutaverat, nunc huic sideri, nunc illi respondebant; ideoque alias specie Cometa habebatur, cum re ipsâ idem esset, ac anteâ.

Nunc verò constat inter omnes, deferri ejusmodi corpora per elipses valdè oblongas, itâ ut quoties appareat Cometa, describi possit in cœlo linea, quam sequatur; quia cum idem sit, qui in præcedenti conversione spectatus fuit, non potest non eamdem viam sequi.

Hoc Astronomi fecere in celebri illo Cometa anni 1759, diuque expectato, qui jam pridem, nempè anno 1531 apparuerat, atque ab Apiano fuerat observatus, post etiam visus est, observante Keplero, & Longomontano anno 1607, iterum spectatus anno 1682, ac demùm anno supradicto 1759.

Itaque istius Cometæ periodus modo annorum 75 repertus est, modo annorum 76, modo $76\frac{1}{2}$; cuius rei præclaram ra-

tionem subjicit Claris. *Clairau*, qui quidem observavit hujus Cometæ adventum tum accelerari, tum retardari, prout diversus est situs Jovis, vel Saturni illum attractione sua, aut retardantis, aut accelerantis.

219 Porrò, cur æquabilem similemque cursum non habeant Cometæ, non simplex causa est. Primum enim id fit, quia etiam cum per eadem puncta orbitæ moventur, propter diversum Telluris situm diversis stellis illi respondent. Deinde, quia ob incredibilem cujusque elipsis longitudinem, ex qua oritur diversa incredibiliter distantia, Cometæ modò apparent, modò evanescent. Præterea, quia acceleratio eorum & retardatio est incredibilis; attractio enim, prout Aphelium & Perihelium inter se differunt, vel augetur, vel minuitur, atque pro excentricitate elipsis, anguli, qui per lineam projectionis & attractionis efficiuntur, vel acutiores sunt, vel obtusiores.

220 Hinc Cometæ quandoque in Perihelio ad Solem propriùs accedunt, sicut notus ille anni 1680, qui non longius aberrat à Sole, quam $\frac{1}{6}$ diametri Solaris; atque ex Newtoni supputatione calorem continebat bis mille ferro ignito majorem. Eadem ratione Cometa, qui apparuit anno 1760, subitò 7 Januarii die visus est in Na-

vi Argos incredibilis magnitudinis; siquidem velocitas ejus, qua in hora ultra gr. percurrebat, eum quam celerrime separavit à Sole, cuius obscurabatur radiis, atque invisibilis erat. Jam quid Cometarum caudæ sint consideremus.

PROPOSITIO II.

221 *Caudæ Cometarum nihil aliud sunt, quam exhalationes è Cometa ratione caloris egressæ.*

Probatur: Hi enim, quo ad Solem propius accedunt, eò ampliori constant caudâ; quæ, cùm longius à Sole abest Cometa, prorsus evanescit. Hinc illicò post Perihelium cauda major est quam antè; quia nimis calorem tum etiam major.

222 Quidam, quorum auctor est Apianus, arbitrati sunt Cometarum caudas refractiones esse lucis Solaris in eorum Atmosphæra, quod falsum est. Etenim quæcumque ea sit, quam volunt, refractio, nisi radii refracti in aliquod recipientur corpus, ut inde reflexi ad nos transferantur, nullo modo percipi possunt.

223 Alii post Cartesium contendunt eas lucem esse Cometæ refractam, aut quomodounque in spatio cœlorum temperatam; sed dici hoc non potest, primùm,

H ii quia

quia tum Caudæ ob diversum Solis aspe-
ctum non mutarentur; deindè, quia stellæ
singulæ, etiamque Saturnus caudam suam
gignerent, quod falsum est.

224 Maxima verò in directione Caudæ
difficultas versatur: hæc enim semper ad
oppositum Soli locum ducitur, ita ut Sol,
Cometa, aut Caudæ directio in eadem sint
semper linea. Id verò hoc modo explicat
Newtonus. Dum Cometa inardescit, fu-
mus ex eo egressus in partem ducitur su-
periorem, referendo ad Solem, sicut cùm
corpus aliquod terrestre inflammatur in Tel-
lure, vapores ob minorem gravitatem per
eamdem lineam ascendunt, per quam gra-
via corpora descendunt. Simili ratione cùm
Cometa inardescit, vapores ejus eodem
modo per eamdem lineam elevabuntur,
per quam descenderent gravia, id est, per
lineam, quæ à Sole egreditur, atque per
centrum Cometæ transit: igitur in eadem li-
nea erunt Sol, corpus Cometæ, & directio
Caudæ illius; licet aliquantulum vaporis li-
nea in partem Cometæ posteriorem incurve-
tur ratione motûs quo Cometa progreditur,
quemadmodùm fumus ex flamma, quæ mo-
vetur egressus in partem, quæ à flamma
relinquitur, aliquantulum inclinat: quæ
omnia in Cometi reperiuntur.

225 Ego verò, quamquam tanti Viri
riup

auctoritatem veneror, ejusmodi sententiam non probo: siquidem in Telluris viciniis ideo fumus per eamdem lineam ascendit, per quam gravia descenderent, propterea quod ipse a majori aeris gravitate movetur, & sursum propellitur: hæc autem major gravitas per eamdem agit lineam, per quam gravitas communis, id est, per lineam, quæ centrum Telluris jungit cum centro flammæ. At verò nulla circa Cometam gravior vaporibus est Atmosphæra, quæ hos ad ascensum pellat. Quamquam enim quædam circa Cometarum vicinia Atmosphæra adesse existimetur, ea certè ad omne pertinere non potest spatium, per quod Cauda ascendit, cum aliquando ad tertiam usque vel quartam cœli partem extendatur, quemadmodùm anno 1680 accidit.

226 Ac potior quidem nobis erit Clar. Hombergi ratio: hic tenuissima filamenta serica in Barometri vacuo suspensa observavit moveri, cum Solaribus radiis per speculum causticum in unum collectis agitantur: ergo eodem modo poterunt Solares radii propellere Cometarum vapores, qui in vacuo moventur: ac propterea vapores e Cometi eggredi in eadem insistent linea, quam Solares radii sequentur.

227 Adversus hanc sententiam quidam objiciunt, ejusmodi evaporationem Come-

ta-

tarum eximiam corpori eorum diminutionem allaturam esse. At falluntur: nam quando aquæ gutta in vaporē solvit, spatiū 14.000 majus occupat, quām in statu aquæ erat, ut suo loco declarabimus; hic autem vapor omnem aerem sensibilem excludit: ergo si vapor iste ulterius rarefacat, spatiū longè amplius occupabit, ut in fumo, aliisque exhalationibus odoriferis videmus: similiter ergo contingere potest in Cometis, quorum diametros examinari non potest, ut cognoscamus utrūm diminutionem patiantur, nec ne. Prætereà hæc evaporatio non nisi semel in singulis periodis contingit, quæ alioquin longissimæ sunt, & interdum 300 annos excedunt.

§. XIV.

De Stellis fixis.

228 **J**am si quis Stellarum numerum nosse in animum inducat, id impossibile erit: illæ imprimis ad calculum revocari nequeunt, ex quibus *Via Lactea* efficitur. Sunt enim ferè innumeræ, nec ullo modo secerni possunt ut numerentur. Idem dicendum de nubecula quadam albicante, quæ ex Stellis quamplurimis coalescit, & versus polum Antarcticum dignoscitur.

Ne-

Neque etiam in numerum veniunt, quam plurimæ, quæ nudis oculis invisibiles omnino sunt; ipsæ enim notæ Constellationes ex conserta Stellarum multitudine efficiuntur, quæ nisi accuratissimis Telescopiis internosci nequeunt. Nam in solo Orionis sidere observavit Rheiṭa ultra 2000 Stellas. Obstet & illud, quominus ejusmodi Stellæ ad numerum reducantur, videlicet, quod interim plurimæ conjunctæ quasi una nobis apparent, sicut in media cinguli Orionis Stella contingit, quæ ex 12 conflatur, & à quamplurimis Astronomis quasi una reputatur. Itaque quando eas numero esse dxit Hipparchus 2022, ac Flamstedius 3000, de iis dumtaxat locutos intelligendum, quæ nudis oculis observari possunt,

229 Ejusmodi autem Stellæ in varias conglobationes ab Astronomis distribuuntur, quas vocant *Constellationes*, sive *Asterismos*. Quæ in Zodiaco continentur, 12 numerantur, his nominibus distinctæ, *Aries*, *Taurus*, *Gemini*, *Cancer*, *Leo*, *Virgo*, *Libra*, *Scorpio*, *Sagittarius*, *Capricornus*, *Aquarius*, *Piscis*.

230 Præter has 12 Constellationes, versus Polum Borealem numerantur 34, ac versus Australiem repertæ sunt 31. Suam singulis appellationem dedit hominum industria atque arbitrium, quarum præcipuae

antiquissimæ quidem sunt, ut earum etiam initium ignoretur: quælibet autem Stella ex loco nominatur, quem in singulis obtinet Constellationibus.

231 Porro quænam sit distantia Stellarum à nobis, vel à Sole penitus ignoratur, neque in dimensionibus cœlestibus omnino credendus est Tico. Nam diameter orbite terrestris, quæ 50 leucarum Lusitanarum milliones superat, si cum Stellarum distantia comparetur, veluti punctum consideratur. Nulla erit enim basis sensibilis, unde ducatur Triangulus, cum lineæ visuales ab Stella ducuntur ad extremitates diametri orbitæ Telluris.

232 Confirmatur: nam eadem Telescopia, quæ ad oculorum conspectum Solen augescunt adeò, ut diametros ejus diatrum orbitæ Telluris æquet, si ad Stellas dirigantur, has nullo modo augent, sed tanquam punctum lucidum repræsentant: ergo apparet Stellarum magnitudo (quæ inversam sequitur distantiae illarum rationem) adeò est exigua, ut, quamquam his Telescopiis incredibiliter augeatur, punctum dumtaxat videantur.

233 Neque vero, cum Stellas conspiciimus, nos fallat earum lux, quæ dicitur falsa. Jure autem falsa hæc lux dicitur, quia ob nimiam *crystalloidis* refractionem,

quæ

quæ Focum efficit ante reticulatam oculi tunicam, in hac commissi inter se radii quodam modo decussantur: quod vitium oculorum aliquantulum emendant Telescopia, per quæ, falsa luce sublata, Stellæ apparent minores, quam si nudis oculis aspiciantur.

234 Jam verò ad discernendam Stellarum magnitudinem, has in sex genera dividunt Astronomi. Primum genus est eorum, quæ vulgo dicuntur Stellæ *primæ magnitudinis*, et nempè, quæ lucidiores apparent. De hujusmodi Stellarum magnitudine nihil certò scimus, cum distantia ignoretur; etiam fortasse quæ minores conspiciuntur, majores erunt, quamquam ob nimiam distantiam, debilior sit earum lux. Et Wolfius quidem, qui putat Stellarum distantiam produci ultra $6.086:080.000$ semidiometros Telluris, subjungit, Solis lumen, si ipse ad eam distantiam transferretur, decies debiliorem fore, quam lux *Syrii*, sive *Magni canis*; ac propterea hanc Sole decies majorem Stellam credit.

235 Propria luce Stellæ fulgent, non à Sole mutuata; neque enim credibile est, ut illis ulla possit à Sole communicari, posita incredibili distantia, scilicet ea vi, ut ab iisdem Stellis valeat ad nos remeare. Unde quælibet Stella tamquam Sol alter existimanda est.

Quod

236 Quod ad Stellarum motum spectat, is triplex est. Motus earum diurnus ab ortu in occasum apparet in Syste-
mate Newtoniano; isque oritur à rotatione Telluris. Motus alter apparet Stellarum est ille proprius ab occasu in ortum, in spatio annorum 25.920, oriturque à motu axis Telluris circa axem Eclipticæ; (Tab.

Tab. 3. 3. Fig. 25.) nam Hipparchi temporibus
Fig. 25. Äquator & Ecliptica in primo puncto *Arietis* intersecabantur; nunc vero quamplurimæ, quæ ad Piscis Constellationem perti-
nent, Äquatorem transierunt; quod vicissim reliquis ejusdem Constellationis Stellis eveniet, proindeque & reliquis omnibus, quæ sunt in Ecliptica. Itaque percurso ejusmodi spatio, prima Arietis Stella ad Äqua-
torem recurret. Sit Axis Eclipticæ B B, vel b b; axis Telluris a a, qui deveniat in e, & i, & o, ac tandem in u in spacio 25.920 annorum.

237 Atque ex hoc motu axis Äqua-
toris exoritur Äquinoctiorum Præcessio: siquidem Äquinoctium contingit aliquantulum ante illud tempus, in quo, si axeos Telluris perfectus esset parallelismus, eveniret; sed quoniam ab hoc parallelismo aberrat aliquantulum, non ideo tempestivè nimium advenit. Hæc autem præcessio valet in singulis annis 3', 23".

Ter-

238 Tertius est Stellarum motus, qui dicitur *rotationis*, qui quidem non evidenter cognoscitur, sed conjectura judicatur; quia motu alterno plurimæ Stellæ tum apparent, tum evanescunt; aliæ vero tum magis lucidae, tum minus apparent. Atque hoc quidem sub quadam cujusque Stellæ periodo constanti evenit: quæ satis suadent inesse in Stellis motum vertiginis; nam si unum præ alio hemisphærio majorem lumen emitat, Stella quandoque obscurior apparebit, vel fortasse invisibilis erit: in iis enim, quæ inermi oculo sunt invisibles, nec nisi Telescopiis conspicuntur, tam modica lux inest, ut in reticulatam oculi tunicam non cadant radii, qui satis sint ad sensationem excitandam.

239 Sunt, quibus ex hoc motu vertiginis Stellarum scintillationem fluere videatur; sed falluntur; neque enim potest tam velox in Stellis esse rotatio, quam scintillatio est earum: aliunde ergo phænomeni hujusce ratio petenda est.

240 Igitur vaporibus Atmosphæræ causa scintillationis Stellarum est adscribenda. Nam 1.^o cum haec à vento agitatur, major scintillatio exoritur: 2.^o Planetæ quoque, cum ad Horizontem accedunt, scintillationem habent; tunc enim lux eorum majorem vaporum copiam transire debet,

ut

ut ad nos usque perveniat ; sicque fulgentes eorum radii modò intersecantur & remissiores fiunt , modò liberè pertranseunt , ac majori vi reticulatam oculi tunicam perstringunt.

Itaque ponamus Telluris Atmosphærā ad 15 usque leucas elevari ; cùm in Meridiano adfuerit Jupiter , ipsius lux effusos per hoc tantummodò spatium vapores pertransibit : quod si prope Horizontem accedat , linea diametro Telluris parallela , ejus ferè radium æquabit , scilicet leucas 1031 , ac per totum hoc spatium vaporibus repletum transibit lux Jovis : ergo radii facilius intersecabuntur.

241 Itaque in hoc systemate cernitur mirus quidam Cœlestium Corporum consensus atque analogia : nam primum , omnia corpora lucentia in statu suo quiescunt , & circum axem dumtaxat volvuntur , prout in Sole videmus : deinde omnia corpora opaca in orbitis suis convertuntur , ac præterea rotationis motu agitantur : præterea omnis cœlorum motus fit ab occasu in ortum : denique ex motu Telluris omnes parentes cœlorum motus proficiuntur.

CAPUT IV.

*De Phænomenis, quæ à motibus Astro-
rum oriuntur.*

§. I.

De Æstu marino.

242 **I**nter phænomena, quæ ab Astro-
rum motibus oriuntur, hoc maxi-
mum ac præcipuum est, quod
bis in singulis diebus alternet *Æstus ma-
rinus*, tum accedendo, tum recedendo.
Sed in constituenda hujuscce rei causa pa-
rum inter se consentiunt Philosophi. Qui-
dam sibi fingunt, quandam fieri in aqua
maritima, Luna interveniente, fermentatio-
nem propter salem ac bitumen, quibus abun-
dat. Cartesius materiæ subtilis vortici hunc
tribuit effectum: Newtonus attractioni. Qua-
de re

PROPOSITIO I.

243 *Luna in causa est, cur sint Æst-
tus marini.*

Probatur: nam utcumque sit maris ac-
cessio, Lunam sequitur: ita ut cum ad ean-
dem altitudinem, qua nos respicit, Luna
per-

pervenit, eadem quoque maris accessio inventur; non tantum in Telluris hemisphærio, quod ad Lunam spectat, sed etiam in adverso: ergo à Luna maris æstus oriuntur.

Hinc fit ut maris accessio quotidie retardetur circiter per $\frac{3}{4}$ horæ; propterea quod cursus Lunæ similiter referendo ad cursum Solarem retardetur. Eodem & illud pertinet, quod aqua marina bis in die augescat, quia Luna quoque bis in die Meridianum transit, semel supra, semel infra horizontem. Porro illa maris accessio in hemisphærio facta, quod Lunam respicit, *Æstus primarius*; quæ in opposito hemisphærio fit, *secundarius* appellatur.

PROPOSITIO II.

244 *Marini Æstus à fermentatione non oriuntur.*

Probatur 1.º, quia incredibile est, ut radii Lunares totam Tellurem penetrent, ut in inferiori hemisphærio fermentationem excitent: sed in eo fit maris accessio illi similis, quæ in hemisphærio à Luna illuminato reperitur: ergo, &c. 2.º, quia aqua maris, æstu adveniente, non est aliâ ratiō: ergo causa accessionis non est fermentatio.

Car-

Cartesius hoc modo rem explicat. Cùm Luna adest in Meridiano, vortex, qui inter Lunam transit & Tellurem, coarctatur, atque marinam aquam deprimit, quæ ibi depressa assurgit per litora, & increscit; atque prima hæc est accessio. Interea hic vortex Tellurem etiam impellit, ac loco movet aliquantulum, ac proinde spatum inferius inter Tellurem & orbitam Lunæ interjectum etiam coarctatur; ideoque cùm per hoc hemisphærium transit vortex, quia angustiorem viam invenit, aquam deprimit versus Telluris centrum, ac assurgit per litora: itaque fit altera maris accessio. Sed

PROPOSITIO III.

245 *Aëstus maris ex vortice Cartesiano nequaquam exsistit.*

Primo: quia hujusmodi vortex Lunam potius abriperet, quam inter eam ac Tellurem coangustatus pertransiret: 2.º quia vortex coangustatus Lunam potius à loco suo amoveret, quam Tellurem, ut maris aestum secundarium efformaret; quippè quæ illa sit levior Tellure: 3.º quia nec in opposito hemisphærio esset coangustatum spatum, cùm nullus ibi sit in Lunæ orbita forax impenetrabilis, sicut esse oportebat, ut, amotâ paululum Tellure à loco suo, in

an-

angustum deduceret spatium in hemisphærio, quod non rescipit.

246 Jam, quid Newtonus sentiat, videamus, cuius philosophandi ratio ita se habet: Attractio Lunæ sequitur rationem inversam quadrati distantiarum: distantia verò regularis in centro Telluris sunt 60 semidiometri illius: ergo attractio Lunæ in centro Telluris, atque in duobus illius diametri punctis, quæ inveniuntur in linea respiciente Lunam, erit inversè ut quadrata horum numerorum 59, 60, 61.

Ergo superficies maris Lunæ proxima plus ab ea attrahitur, quam centrum, & hoc plus etiam, quam superficies maris in hemisphærio opposito: ergo hæc tria puncta inæqualibus viribus ad Lunam tendent, ac invicem separabuntur: hæc autem separatio utriusque superficie maris à centro Telluris est aquæ elevatio, sive marini Æstus accessio: ergo ex hac inæquali attractione Telluris oritur Æstus maris.

247 Dum ergo in utraque extremitate diametri respicientis Lunam elevatur aqua, illa, quæ referendo ad Lunam in Quadraturis Terræ reperitur aqua, descendit versus centrum Telluris, ut spatium occupetur derelictum ab alia aqua, quæ à centro recedit; & tum in his locis decrescit mare, Cùm autem in spatio $24\frac{3}{4}$ horarum Tellus cir-

circa suum axem circumvolvatur, idem ipsius punctum vicissim invenitur in prima accessione maris Lunam respiciente, posteā in recessu, deinde in altera oppositi hemisphaerii accessione, tandem in secundo maris recessu. Sed, ut, quid de hac quoque sententia judicandum sit, ostendamus.

PROPOSITIO IV.

248 *Per solam diversam Lune attractionem non satis expeditur secunda mari- ni aestus accessione.*

Probatur: Ponamus gravitatem, seu attractionem centri Telluris supra universam maris superficiem valere gr. 100; Lunæ attractionem super centrum Telluris valere 10; supra aquam maris proximam valebit 11, supra remotam 9 (Tab. 3. Fig. 26.) Aqua maris in proxima superficie duplicem attractionem habet, & contrariam, vide- licet ut 100 versùs centrum Telluris B, & ut 11 versùs Lunam L: ergo elevabitur in A; propterea quod minus ibi sit gravis aqua, quam in M vel N. At vero in parte matis opposita, nempè C attrahitur aqua versùs centrum Telluris ut 100, versùs Lunam ut 9. Cum duæ ejusmodi attractiones fiant versùs eandem partem, alia aliam non destruit, sed augescit, sicque gravitas aquæ

in C valet 109; in M verò vel N, cùm Lunæ attractio angulum rectum efficiat cùm attractione centri Telluris, una directio aliam nec auget, nec minuit; siveque gravitas aquæ, sive attractio versùs centrum, valet 100, in A verò valet 89.

Ergo non eodem modo aqua ubique attrahitur versùs centrum Telluris, sive potius, non eandem habet vim gravitatis; quia in superficie A proxima Lunæ valet gravitas 89, quia ab attractione centri 100 deducitur Lunæ attractio 11; in opposita autem maris superficie C, nifus aquæ versùs centrum valet 109, quia una attractio alteri additur; in Quadraturis verò M vel N gravitas valet 100, cùm attractio ut 10 versùs Lunam nec augeat, nec destruat aliam ut 100 versùs centrum B.

Ergo præcisè habitâ ratione inæqualis attractionis Lunæ, aqua elevabitur in A, deprimetur in C, at verò in M vel N, nec deprimetur, nec elevabitur; id est, erit marini æstus accessio in superficie A respiciente Lunam; erit recessus ejus maximus in superficie C opposita; in aliis verò locis ad angulum rectum dispositis M & N nec maris æstus accedit, nec decedet.

249 Sed præclarè occurrit Cl. Benedictus de Moira Portugal, (Tab. 3. Fig. 26 ** ubi sa gittæ directionem motūs indicant) in hunc modum.

Con-

Convenit inter omnes 1.^o, Terram motum habere periodicum circa centrum commune inter illam & Lunam in spatio mensis Lunaris ; hoc autem centrum non admodum distat à superficie Telluris : est enim in distantia à centro Telluris æquali $\frac{1}{2}$ distantiae Lunaris.

250 Certum est 2.^o, corpus omne in orbem actum habere vim centrifugam, quanititur à centro motus recedere ; sicut etiam augeri ejusmodi vim in ea ratione, in qua augetur distantia ab ipso centro.

251 Hinc illa efficiuntur : 1.^o, centrum Telluris niti recedere à centro communi, ibique centrifugam hanc vim æqualem vi attractionis Lunæ futuram esse ; alioquin vel centrum Telluris à Luna recederet, vel accederet : ergo si attractio Lunæ in centro Telluris valet 10, vis quoque centrifuga ibi valet 10 ; sicut etiam in punctis M N æqualiter distantibus à centro communi I valebit attractio Lunæ 10.

252 Efficitur 2.^o, parvam inesse vel ferre nullam vim centrifugam in maris superficie, quæ Lunam respicit, cum ibi valde proximum sit centrum commune ; sed erit in superficie maris opposita C vis centrifuga dupla, quam in centro, cum distantia ejus à centro communi sit dupla : valebit ergo ibi vis centrifuga 20.

253 Ergo si in centro Telluris duæ vires comparentur, sicut etiam in punctis Quadraturæ M N, mutuò se se destruent, cùm sint æquales, atque in partes oppositas.

In superficie verò maris A proximâ Lunæ ferè nulla est vis centrifuga, & omnis Lunaris attractio vim exercebit 11 contra gravitatem aquarum, & quæ in aqua marina inest gravitas, minuetur secundūm gradus 11; unde & gravitas 100 redigetur ad 89.

Denique in superficie maris C hemisphærii oppositi vis centrifuga 20 deducta de vi gravitatis & attractionis 109 efficiet, ut ibi gravis sit aqua ut 89, cùm per totam superficiem Telluris sit 100: his positis,

PROPOSITIO V.

254 Æstus marini causa est inæqualitas attractionis Lunaris & simul virtutis centrifugæ à centro communi.

Probatur: Nam nisi habitâ harum vi-
trium duarum ratione, non potest explicari
marini æstus accessio in duabus extremita-
tibus diametri respicientis Lunam; & hac
positâ optimè explicatur: igitur hæc sola
causa illius est.

255 Sed antequām ulteriùs progredia-
mur,

Mur , non abs re erit , quædam monere non parùm profutura iis , qui accuratissimè rem omnem ad calculos exigere velint : Ac illud primum , attractionem Lunæ supra Tellurem inæqualem esse in ratione inversa quadratorum distantiaë : si ergo distantia inter centrum Telluris & Lunam fuerint semidiametri Telluris 60 , distantia in superficie maris proximâ referendo ad Lunam A (Tab. 3. Fig. 26.) erunt semidiametri 59 : in superficie verò remota C erunt semidiametri 61. Quadrata verò horum numerorum 59 , 60 , 61 , sunt 3481 , 3600 , & 3721.

Tab. 3.
Fig. 26.

256 Ergo attractio Lunæ in centro Telluris B valet - - - - - 3600
In puncto A proximo - - - - - 3721
In puncto verò C remoto - - - - - 3481
Qui quidem numeri ad hos reduci possunt , minutissimis fractionibus neglectis.

In centro B attractio valet	- - - - -	36
In superficie proxima A	- - - - -	37
In superficie remota C	- - - - -	35

257 Etiam illud notandum , Tellurem & Lunam mutuò se se attrahi , ac , si sibi committerentur , concurrerent omnes in idem punctum *i* , quod ab utriusque centro distat in ratione inversa massarum , nempè in ratione 71 ad 1. Multiplicantur ergo semidiametri 60 per leucas Lusitanas 1031 ,

tota inter centrum Telluris & Lunam distantia fiet leucarum 61.860 ; quæ quidem , si in partes 72 diducantur , ut centrum commune inveniamus inter Tellurem & Lunam , efficient circiter 859. Igitur centrum commune i distabit à centro Telluris B 859 leucas ; à superficie proxima A 172 , ac tandem à superficie remota C 1890.

258 Ergo dum Tellus & Luna intramensem in orbem aguntur circa punctum i , vires centrifugæ ab hoc punto erunt in ratione distantiarum ; quæ quidem distantiae 172 , 859 , 1890 ad has reduci possunt.

In superficie proxima A vis centrifuga à centro communi i valet - - - - -	7
In centro B - - - - -	36
In superficie remota C valet - - - - -	79

259 Adde , quodd in centro B attractio 36 sit æqualis , & contraria vi centrifugæ 36 ; ac proindè immotum perstat centrum B.

In superficie proxima A attractio Lunæ valet - - - - - - - - -	37
Vis centrifuga , & analoga valet - -	7
Sunt itaque in eodem sensu , & aquæ versùs Lunam moventur viribus	<u>44</u>
Ergo ibi elevabitur aqua ut 44.	

260	In superficie tandem remota C vis centrifuga valet - - - - -	79
	Deducenda est vis attractionis contraria	35
	Supersunt vires , quibus aquæ rece- dunt à centro communi ; & ele- vantur in C - - - - -	44

Ergo aquæ elevabuntur eodem modo
in superficie proxima A , ac in remota C.

§. II.

De Phænomenis Æstus marini.

261 **R** Elstant adhuc non pauca circa
maris Æstum consideranda. Et
primùm quidem , cur in Syzygiis acces-
sio , & decessio maris sit major quàm in
Quadraturis? Quia non Luna tantùm , sed
etiam Sol has accessiones efficiunt ; atque
sub eadem ratione , quia Sol aquam for-
tiùs attrahit in hemisphærio proximo , quàm
in remoto ; deinde cùm Tellus circum So-
lem in orbita sua circumvolvatur , aquæ in
utroque hemisphærio centrifugam vim ha-
bent , ut à Sole recedant : erit ergo in du-
abus maris superficiebus attractio Solis inæ-
qualis , & inæqualis ab illo vis centrifuga ;
quamquàm ejusmodi inæqualitas in Sole
non sit adeò manifesta , quemadmodùm in
Luna.

Er-

Tab. 3. 262 Ergo in Novilunio A (Tab. 3.
Fig. 27. Fig. 27.) attractio Solis S, & Lunæ L
concurrunt, & prima Lunaris intumescen-
tia, & prima Solis concurrunt in α . Similiter
vis centrifuga à Sole, & vis centrifuga à
centro comuni i respectu Lunæ coincidunt
in b : ergo secundaria Lunæ & secundaria
Solis accessio coincidunt: ac propterea si
Lunæ valet pedes 7, & Solis pedes 2; in
Novilunio A nobis erit utraque accessio pe-
dum 9 in α .

Similiter in Plenilunio B; quia tunc
primaria accessio Lunæ in b , & secundaria
Solis concurrit, & contra.

263 In Quadraturis vero accessio &
recessus minores sunt, quia invicem con-
currunt accessio Lunæ & Solis decrescen-
tia; ac proinde aqua per Lunam elevanda
usque ad pedes 7, deceder ratione Solis
per pedes 2, ut alibi accretionem Solarem
efficiat, ibi nempè, ubi aqua ex efficientia
Lunæ decedere deberet usque ad pedes 7:
igitur in Quadraturis valebit accretio & di-
minutio aquæ pedes 5.

264 Huic & illud proximum est, cur
circa æquinoctia vehementiores sint in Sy-
zygiis aquarum accretiones: quia nimirūm
attractionis linea est ad ejusmodi effectum
accommodior; quod probatur: Nam si
fieret attractio versus Polos, tametsi accre-
scere

sceret aqua versùs illos, non magis vi motus diurni litora alluerentur, nec minus; propterea quòd in ratione Telluris, eandem aquæ altitudinem semper continerent: ergo quanto linea attractionis ad planum Æquatoris magis accedit, eo in motu diurno differentia elevationis aquæ magis percipitur; videlicet quia axis hujus pyramidis aquosæ etiam in plano Æquatoris inventur.

265 Quæri etiam potest, cur, cùm sit Eclipsis, majores existant Æstus maris, præsertim, si Eclipsis sit centralis? Tunc enim Sol & Luna, cùm in Nodis sint, efficiuntiam habent per eandem lineam. Cùm autem Eclipsis abest, quamquam Syzygiæ contingent, possunt Luna & Sol distare per gr. 5 non est ergo mirum, quòd duæ vires per eamdem lineam agentes, fortiori exerant actionem.

266 Est & illud observatione dignum, quod primarius Solis vel Lunæ maris Æstus, aliquantulum secundario sint majores. Cuius rei causa ut pateat, sciendum est, accretionem maris non oriri tantum ab attractione respondentे illi superficie maris, quæ augescit, sed etiam ab attractione, quæ respondet toti hemisphaerio Lunam recipienti; aqua enim, quæ existit in M vel N (videsis Tab. 3. Fig. 28.) à Luna attrah-

Tab. 3.
Fig. 28.

hi-

hitur versus A, ibique coacervatur, cum undique ad hunc locum confluat, nimirum ex omni circumferentia, ac hemisphaerii superficie. Similis est ratio vis centrifugæ in hemisphaerio opposito: aquæ enim in P, & Q à centro communi recedentes coacervantur in R.

267 Sciendum etiam Lunaris attractionis radios convergentes esse; quo fit, ut aqua hinc inde attractioni obtemperans, ad se mutuò accedat, ac majori vi coacervetur, quam si parallelæ essent lineæ attrahentes. Lineæ verò, per quas in hemisphaerio opposito agit vis centrifuga, divergentes sunt, ac minori vi coacervantur in pun-

Fig. 29. cto R (ut videtur in Figura 29.) : ergo major erit maris accretio in A, seu in hemisphaerio proximo Lunæ, quam in R, seu remoto.

268 Præterea centrum commune inter Lunam & Tellurem erit infra superficiem ejus, circiter $171\frac{5}{6}$. Centrum commune distat ab utroque corpore in ratione inversa massarum, seu in ratione 71 ad 1: ergo distantia dividenda est in 72 partes æquales, & distantia ut 1 erit inter centrum commune, & centrum Telluris: 60 ergo semidiametri dant leucas Lusitanas 61.860, quæ divisæ per 72 dant $859\frac{1}{6}$, quod deductum à radio Telluris, seu 1031 dat

171 $\frac{5}{6}$ Leucas : ergo quando Tellus hoc circuit centrum , atque aquæ in R vi centrifuga attolluntur , etiam quæ sunt in A vi centrifugâ , licet minimâ , elevabuntur ; eritque accretio in A ratione attractionis Lunæ , simulque ratione vis centrifugæ , quæ ibi concurrit . Hinc , licet vis centrifuga in R sit plusquam duplâ , habitâ ratione centri Telluris , hoc tamen non exæquat nimiam accretionem primariam ex duabus illis rationibus provenientem .

269 Huc quoque pertinet , cur major non fiat aquarum accretio , quando Luna adest in Meridiano , sed , quando ea , exactis circiter 2 horis , pertransiit . Nimirùm , quia ex vi rotationis Telluris (Tab. 3. Fig. 29.) aqua defertur à P in Q & A : ergo linea attractionis Lunaris in Q , & motus aquæ à Q in A concurrunt , & aqua velocissimè defertur à Q in A . At verò aqua in P vi attractionis Lunaris defertur in A , & ex adverso occurrit aquis illis , quæ rotationis vi deferuntur ab A in P : ergo in occursu aquarum ex adverso confluentium maxima efficietur accretio in e , cùm nimis aquæ elevatæ per Lunam vi rotationis deferebantur in P , & alias contra venientes inveniunt .

270 Ob eandem rationem in hemisphærio opposito aquæ ex vi rotationis move-

bun-

buntur à *p* in *q*; cùm eæ vi centrifugâ à centro communi deferuntur à *Q* in *q*: erit igitur conflictus, ac maxima aquarum coacervatio in *O*, non verò in puncto *b* ex diametro Lunæ opposito.

271 Jam, cur marini Æstus accessio bis in die, bisque ejusdem recessus eveniat, non operosa admodum ratio est. Nam idem regionis litus Lunam modò respicit in primo hemisphærio, modò in puncto ex diametro opposto existit; itemque bis in die invenitur in Quadraturis: ergo bis in die aqua maris accedet, bisque recedet.

272 Neque etiam longum est expedire, cur non in eodem momento matis Æstus augescat in eodem fluvio? Siquidem adveniens mare sensim in alvum fluvii influit; sicque cùm à mari longius abest litus, eò tardiùs advenit Æstus accessio.

273 Superest tandem, cur secundum altitudinem varient marini Æstus in eadem latitudine, vel notabiliter æquali. Id ex plurimis rerum adjunctis discernendum est. Nam in Mediterraneo nulla, quæ notabilis sit accretio maris appareat; aqua enim, quæ sex horis continuis increscit, & per angustam Mediterranei portam influit in vastissimum Mediterranei amplitudinem, ac per illam dispergenda est, nullum ei præbebit incrementum, quod sentiatur; namque, -aud
tran-

transactis illis sex horis , statim aqua maritima decrescit , ac subinde à Mediterra-neo , quæ ibi influxerat , aqua , totidem horis in Oceanum defluit : itaque nulla , quæ sentiatur , differentia apparebit in Me-diterraneo.

274 Contrà accedit in mari inter Galliam & Insulas Britanicas interjecto : in hoc enim , cùm in infundibuli speciem constitu-tum sit , quando augescit Oceanus , magna aquæ vis influit , quæ , quando in Scandina-viæ mare defluit , coangustatur ; sicque accrescunt aquæ ultra consuetam altitudi-nem , similiterque decrescunt , quando Ocea-nus decedit.

275 Undè , ut tempus fluxus & refluxus maris in quolibet litore constituatur , multa hujusce rei adjuncta consideranda sunt. Primum enim refert , quæ sit *Latitudo* lo-ci : deinde , quæ distantia ab ora fluvii : præterea , quis peculiaris situs ; aqua enim modò coangustatur in ingressu , modò per varios flexus , ac reductos sinus ad eundem locum sæpiùs redit. Quo quidem modo pa-tet multiplex fluxus , ac refluxus maris in eodem litore , sicut in eodem loco per va-rios soni repercuttus , vox eadem accepta , sæpiùs auditur , dum echo iteratur.

§. III.

De Nubibus, Pluvia, ac de Fontium origine.

276 PONDUS aeris, qui quidem non eadem densitatem habet, in causa est, cur vapores eleventur; pars namque Atmosphæræ inferior à superiori opprimitur: ergo aer sensim fit rarius, cùm à Terra recedit: igitur vapores elevantur, quan- diu aere cui respondent leviores sunt: con- sistunt autem in ea altitudine, in qua aer adjacens æqualem habet densitatem.

277 Hinc 1.^o, nubes, seu vapores non in eadem semper altitudine consistunt, quia non semper eandem densitatem habent. Hoc indè constat, quod sæpè, dum nubes su- periores in ortum moventur, inferiores in occasum deferuntur, & dum superior Solis radiis illustratur, quando ipse infra horizontem existit, inferior lumine ejus caret.

278 Hinc 2.^o *nebula* & *nubes* nihil in- ter se differunt, nisi quod *nebula* sit nubes densior & gravior, ideoque in Telluris vi- ciniis consideret, dum *nubes* ob majorem ra- titatem elevatur; ideoque dum *nebula* ca- lone rarescit, sensim elevatur. Nebula ta- men

men minus quam nubes videtur opaca per id, quod in minori distantia videtur; cum enim est nebula egredimur, tanto ea magis reddetur oppaca, quanto a nobis longius abest.

Nam quod res objecta proprius est, major visibilium radiorum numerus ab ea egreditur ad oculos: ergo, etiam si vapores adsint, aliqui tamen radiorum ad oculos in minori distantia pervenient, licet iidem nobis in majori distantia constitutis non perveniant.

279 Hinc 3.° Vapores est Terra egressi non sunt tantummodo aquosi, sed ex omnibus particulis componunt, quae in Telluris globo inveniuntur, quae omnes miscentur, & elevantur. Hoc autem manifestum est ex omnibus chimicis distillationibus, ubi in capitello alembici coacervantur vapores ejusdem naturae, & diversitatis corporum, ex quibus egrediuntur. Atque inde fit, ut in nubibus inter particulas aquosas particulae etiam heterogeneae reperiantur.

280 Pluvia autem nihil aliud est, quam vaporum coagmentatio, qui ad minus spatium reducti in aquam redeunt. Id verò constat, quia quotiescumque vapores coagmentantur, atque in quemcumque fornacem excipiuntur, ad guttas rediguntur,
quæ

quæ sensim per advenientes vapores augentur: quando autem ita augetur gutta, ut eam cohaerentia cum capitello nequeat suspendere, dilabitur secum deferens reliquas, in quas incurrit.

Idem ergo eveniet in aere, quotiescumque ita consistunt vapores, ut non possint ulterius ascendere; particulæ aquosæ & similes se se mutuò attrahunt, ex quibus guttæ concrescunt, ac decidunt. Hinc gutta pluviae initio descensus extenuatissima est, sicut pruina; sed quoniam alias omnes per quas transit, secum defert, ideo sensim augetur, donec ad Terram pervenit.

281 Hinc. 2.^o guttæ pluviales in æstate magis, quam in hyeme augescunt. Nam cùm nubes ea tempestate altiores sint ratione caloris, guttula descendens longiori tractu per plures alias transit, atque amplior evadit.

282 Hinc. 3.^o postquam pluit, purus limpidusque aer apparet, propterea quodd guttæ pluviales in descensu secum detulerere, quidquid aeri diversum objectum erat.

283 Hinc 4.^o flante eodem vento, pluit in quibusdam regionibus, in aliis verò differat. Namque si ventus super Terram transit, terrestres secum defert vapores, qui pluvias non generant: si super mare aquosos trahit; hi autem pluviam gignunt non in

in eodem loco, à quo elevantur, sed in alio, in quem à ventis deferuntur, & ubi coacervantur.

284 Hinc 5.^o, non ubique intra annum eadem aquæ pluviae quantitas decidit; contingit enim, ut eodem anno pluvia in una regione ascendat ad pollices 19, in alia usque ad 24, alibi usque ad 28, & alibi usque ad 33: itaque ferè constans ejusmodi inæqualitas singulis annis in eodem loco invenitur. Siquidem & maria, & lacus, & montes, ità comparati sunt à natura, ut, dum hoc flante vento abripiuntur vapores, objectu montium impediantur, ac retrocedant, ut cum advenientibus coacerventur, & concreti cogantur in pluvias; alibi autem liber transitus est vaporum. Item quia situs maris ejusmodi est, ut aquosi vapores propulsi à ventis crebrioses pluvias alibi gignant.

Proximum est, ut de *Fontium origine* dicamus, qua de re variæ circumferuntur Philosophorum opiniones, quas hoc loco non interest commemorare. Atque ut ad magis necessaria transeamus: Hinc sit

PROPOSITIO I.

285 *Fontes originem ex mari proxime trahere non possunt, ut loquuntur.*

Tqm. II.

K

Phi-

Philosophi; ex eo autem oriuntur mediate.

Atque hoc constat 1.^o, quia montium vertices, ex quibus fontes defluunt in mare, longè extra maris libellam supereminent, & ideo ad illud descendunt aquæ: nequeunt ergo naturæ viribus à mari ascendere usque ad montes, ubi nascuntur: 2.^o quia aqua maris salsa est, fontium autem dulcis: ergo à mari proximè non oriuntur.

286 Quidam autem familiare habent illa opponere Eccles. cap. 1. y. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant:* Ergo flumina ac fontes ex mari originem ducunt. Totum autem hoc, si de origine, quæ dicitur mediata, intelligi velint, concedimus; sin de immediata, falsum rejicimus. Nam, ut mox dicendum est, è pluvia fontes efficiuntur, pluvia autem à mari præcipue oritur, cùm ab illo maxima ex parte eleventur vapores.

287 Ajunt etiam, si cacumina montium cum longè remotâ maris superficie comparentur, cum ea ab libellam posita inveniri, propterea quod Tangens ducta per superficiem maris, poterit hinc indè usque ad montium culmina pervenire: ergo habitâ ratione æquilibritatis fluidorum, poterit aqua

aqua maritima in montium culminibus apparere. Falluntur; non enim idem est, inveniri ad libellam, ac esse in eadem linea recta, quamvis ea sit Tangens maris.

288. Ratio est, quia libellam tunc adesse intelligimus, cum duo corpora eandem à centro Terræ distantiam, sive eandem altitudinem habent: hoc autem in Telluris tangente non invenitur, quoniam hinc inde dum à circumferentia separatur, referendo ad centrum Telluris, assurgit.

Enim verò linea libellæ in parva distantia tanquam linea recta consideratur; sed ut eadem linea in distantia notabili eandem per omnia altitudinem, sive eandem servet à centro distantiam, eandem curvaturam habere debet, ac superficies ejus. Quod si hæc adversariorum commenta aliquo in numero putarentur, audere illud quisque posset, Stellas cum mari libratas esse; cum enim navigamus, linea visualis, quæ Tangentis instar maris superficiem radit, ad Stellas perducitur.

289. Illa quoque objiciuntur: Aqua maritima, dum per viscera Terræ percolatur, dulcis redditur; aqua verò dulcis levior est falsa: ergo columna aquæ dulcis, ut cum columnæ aquæ marinæ æquilibris fiat, altior esse debet, atque ad montium culmina vi æquilibritatis poterit pertingere.

Sed hoc quoque haud infeliciter excluditur: nam gravitas aquæ dulcis est ad gravitatem saltæ circiter sicut 33 ad 34: ergo, ut elevetur ad cacumen, quod eminet ultra pedes 1000, necesse est, ut in visceribus montis existat columna aquæ dulcis 34 mille pedes alta, quod est falsissimum.

290 Objicitur tandem, aquam saltam dulcem fieri posse per destillationem in montium cavernis factam igne interveniente subterraneo: ergo aquæ marinæ salinitudo nihil prohibet, quominus ab ea fontium origo ducatur.

At nihil obtinet ejusmodi argumentum, cum nihil sit, quod nos cogat ad assentendum rationi quamplurimis difficultatibus involutæ. Neque enim rationem reddere quisquam potest, cur pluvialis aquæ abundantia, aut diminutio, aut penuria ita ad fontes valeat, ut modò exsiccentur, modò scaquent, cum stet eadem vis ignis subterranei, eadem fornicis subterranei conformatio: ergo aliundè petenda est fontium origo.

PROPOSITIO II.

291 Fontium origo à pluviis, vel nivibus liquefactis petenda est.

Probatur: Nam ex pluviis ac liquefactis

Etis nivibus fit, ut omnes ferè fontes pluvia-
rum copia augeantur; cùm verò siccitate
laboratur, tum minuuntur fontes, tum
etiam identidem exsiccantur, donec adve-
niente pluvia scaturiunt: ergo quomodo-
cunque res se habeat, aqua pluvialis in
fontibus appareret, huicque tum existentia,
tum conservatio, ac etiam fontium copia
& perennitas debetur. Nam eodem ducta
pars aquæ deduci potest quæ fontis incre-
mento respondet, quo omnis illius aqua;
propterea si fontis incrementum certè à plu-
via oritur, huic omnino fontium origo tri-
buenda est.

292 Verùm id, ut pateat, paulò lon-
gius est repetendum. Sunt equidem in Tel-
lure lapidei montes ità naturâ comparati,
ut veluti fornices duplices, triplices & qua-
druples, intertexta materia terrea, argil-
losa, &c, inveniantur. Dum autem pluit,
illa duntaxat occurrit pars aquæ, quæ per
fissuras penetrare non potest; reliqua verò in
intimas eorum montium cavernas penetrat,
eiusmodi autem cavernæ vel clausæ sunt,
vel perforatæ: si aqua retinetur, ea caver-
næ replentur, ac superfluant; sin verò ca-
vernæ communicantur, aqua longissimis fle-
xibus deducitur, atque in loco appetit ab
eo longè remoto, in quo decidit pluvia.

293 Sin cavernæ subterraneæ amplio-
res

res fissuras habeant superiùs , ut aquam exundantem recipient , quàm inferiùs , ut conclusam ejicient , aqua interiùs coacervatur ; & hiberno tempore exacto , perstare potest fons , quandiu durat aquæ coacervatio : dum autem aqua in receptaculo decendit , pressio minuitur in fissura inferiori , minuitur quoque in eodem tempore egressæ aquæ quantitas ; sicque fons minuitur , donec tandem , nisi iterum imbræ sint , exsiccatur , quia aqua receptaculi omnino extinguitur .

294 At , inquiunt , si aqua pluvia causa est fontium , ab ea quoque originem ducent vel rapidissimi amnes : sed hoc est incredibile : ergo aqua pluvia non est fontium origo . Indè autem ratio deducitur , cur incredibile hoc videatur , quia major aquæ copia in fluminibus continetur , quàm quæ , cadente pluvia , effundi potest : ergo , &c.

295 Respondetur , quod initio calculo repertum est , majorem esse aquæ copiam , quæ plerumque cadente pluvia , decidit , quàm , quæ in fluviis decurrit . Enim verò major octo partibus (quemadmodum observavit Clar. Matiotius) aquæ pluviae copia decidit in eas regiones , in quas influit Sequana , præ aqua , quam hic fluvius defert ; prout oportebat , non tantum ut arbores atque animalia alerentur ,

sed etiam ut à regionibus madefactis vapores elevarentur.

296 Calculus autem decidentis pluviae hoc modo poni potest: Vas cylindricum, vel ad parallelipipedi formam structum pluviae perpetuo exponatur; & quoties pluvia decidit, regula accuratè divisa examinetur, quænam altitudo sit aquæ intra vas contentæ, & protinus evacuetur, ut iterum novâ advidente pluvia, examinetur aquæ altitudo. Intra annum autem summa fiet omnium altitudinem aquæ in vase contentæ, & ut plurimum invenientur à pollicibus 19 usque ad 35. Tum sumitur altitudo media, ac per regionis superficiem, de qua agitur, multiplicatur; & sic aquæ quantitas invenietur, quæ plerumque in eam regionem decidit.

297 Quò verò comperta sit nobis aquæ quantitas, quæ per fluvium defertur intra annum; primùm fluvii alveus metitur, id est, superficies sectionis perpendicularis; hæc deinde multiplicatur per velocitatem torrentis, atque ex summa efficietur, quanta sit intra annum aqua. Velocitas autem non sumitur, nec in medio torrente, nec juxta litora, cùm ibi sit minima, illic autem maxima, sed media eligitur. Similis erit ratio tum superficie, tum fundi pertinandi. Velocitas enim sensim minuitur à fu-

superficie usque ad fundum: eligitur ergo media velocitas, vera ut aquæ quantitas reperiatur, quæ in flaviis defertur.

298 Ajunt etiam: Explicari nequit, quomodo aqua pluvialis deferatur ad montium vertices, è quibus fontes oriuntur: ergo. Respondetur, fieri non solere, ut in montium summitatibus existent fontes, sed plerumque in declivitatibus reperiuntur: cùm verò in montium fastigiis oriuntur aqua pluvia ibi deducitur ex receptaculis superioribus, quæ in aliis sunt montibus: namque per canales subterraneos quām fæcissimè aqua defertur ab uno monte ad alium.

299 Illa quoque objici solent, plurimos in æstate scatere fontes, qui, adveniente hieme, exsiccantur; ergo falsum, quod ex plaviis exoriantur. Sed enim istiusmodi fontes ex liquefactis nivibus oriuntur. Nam, cùm ferventissimo æstu nives liquefunt, vel glacies dissolvitur, ejusmodi aquæ eadem vis inest, ac si è nubibus accederet. Quare mirum esse non potest, si in æstate fontes prorumpunt, ac exsiccantur in hieme.

300 Hæc etiam contra dicuntur, fontes esse non paucos, quorum salsa est aqua: hos ergo à mari ortum ducere credendum est. Sed falsò, nam hujus aquæ falsi-

tudo à mineralibus salis provenit, per quæ aqua pluvialis transit, antequam ad fontem perveniat. Atque hæc eadem causa est, quæ medicaminum potentiam dat aquis quorundam fontium: aqua namque imbuitur particulis heterogeneis mineralium, per quæ defluit. Est enim globus terraqueus ex infinitis propemodùm mineralibus coagmentatus, quorum particulæ, sicut natura diversæ sunt, ita iis multa inest potestas, effectusque varii.

301 Objicitur illud quoque, incredibile esse, ut in visceribus montium tanta aquæ copia coacervetur, & coerceatur, quæ in æstate suppeditare possit fluminibus perennitatem: ergo incredibile esse à pluviis duntaxat oriri fontes ac flumina. At hoc ipsuni excluditur: nam inito calculo aquæ pluvialis, videri non potest, id quod ponimus, incredibile. Præterea non raro contingit post alicujus montis ruinam, per magnam protinus fieri in ejus viciniis inundationem, qualis anno 1680 visa est in Hibernia, & in Pyreneis anno 1678.

§. IV.

De Fulgure, Tonitru, Fulmine & cæteris.

302 **I**ntra Meteora ignita præcipuum locum obtinent Fulgor, Tonitrus, ac Fulmen: hæc autem vel ipsa per se spectari possent, vel in causa, unde efficiuntur. Quare, ut perspectam cujusque naturam habeamus, dicunt in primis, deferri in vaporibus particulas heterogeneas, quæ à Tellure exhalantur: non enim tantum vapor aqueus aere levior redditur, ut per ipsum ascendet, sed etiam fumus siccus & calidus: ergo in Atmosphæra commixtæ cum vaporibus atque concretæ periuntur particulæ aeris, ignis, sulphuris, nitri, & hujusmodi cætera.

303 Addunt etiam hujusmodi, saepissimè ex quorundam corporum permixtione subitam fieri inflammationem, quæ quidem, ut varia ferunt ipsius rei adjuncta, tum lenis est, tum rapida, tum multa, tum ingenti fragore, multumque dilatatur.

304 Plurima peccare hujusmodi rationem ajunt Recentes; qui causam valde diversam assignant, eaque Electricitas videtur. Videmus enim eadem effici ab aeris

electricitate, ac vitri aut sulphuris. Adhibita enim Machina Electrica non tantum Fulgura & Tonitrua, sed Fulmina etiam ipsa imitantur, ut uberior declarabimus, cum de Electricitate locuti fuerimus.

305 Itaque, ut jam de cæteris meteoriis dicamus, Ignis, qui *fatuus* vulgo appellatur, is scilicet, qui, dum tempestas urget, in summis navium malis, vel in extremitatibus funium apparere solet, nihil aliud est, quam materia electrica aeris aut nubium, quæ per extremitates ingreditur vel egreditur. Nam, quod suo loco reddemus, acuminatae rerum extremitates & ad suscipiendam, & ad ejiciendam materiam igneam electricam sunt maximè idoneæ. Perindè autem fit in aeris tempestate atque in Machina Electrica.

306 Jam *Stellæ cadentes*, quas vocant, portio quædam sunt materiæ sulphureæ, quæ inflammatur, ac inflammata descendit, quarum plus minusve perstat lux, prout materia concipiendis flammis apta perseverat. Interdum enim contingit, ut ad Terram usque perveniat, ibique inflammata & ardens conspiciantur; sed plerumque evanescit in aere, propterea quod materia concipiendis flammis apta deficiat.

307 Quod verò ad Auroram Borealem pertinet, quædam comperta sunt, quædam au-

autem ignorantur. Primum enim causa latet, cur hoc phænomenon non nisi paucis abhinc annis notum sit philosophis, quippe ejus ne vestigium quidem exstat apud antiquos. Deinde, ignoratur, cur non nisi versus Boream conspiciatur hæc lux.

308 Quæ vero cognoscuntur, ejusmodi sunt: 1.^o Tota ea Lux Borealis ex vaporibus existit, tum quia multa varietas est, tum quia non nisi cum nubibus apparet. 2.^o Efficitur autem ex inflammatione, non solum quia aliquando ejaculations quædam lucidae e nubibus egressæ cernuntur, sed etiam, quia sensim ea evanescit, cum materia incendio apta deficit. Hinc pro diversitate materiæ, quæ inflammatur diversus nubi inflammatae color esse conspicitur. Figura autem easdem, quas nubium figura, causas habet.

309 Hæc plerumque, instante calore, exoritur, quia tunc Telluris evaporatio crescit. Nihilominus hujusmodi Auroræ Boreales versus Aquilonem frequentiores sunt, quia frigore concrescunt & coacervantur vaporess, qui dispersi nullam subirent inflammationem.

310 Hoc Auroræ cum Phosphoris commune est, quod in utroque phænomeno inflammatio durat, quia lenis sit: eadem autem est inter Auroram Borealem & Fulgur dif-

differentia, quæ inter phosphorum & flam-
mam; in Fulgure enim inflammatio subita
est & rapida, in Aurora verò Boreali le-
nis & diurna.

§. V.

De Terræmotibus.

311 **T**erræmotus verò phænomenon
est ejus naturæ, in quo multa
consideratione digna visa sunt. Nam pri-
mum omnium varia ejus sunt genera. In-
terdum enim Terræmotus est subsultatio-
nis, interdum trepidationis, nonnunquam
librationis. Sæpenumerò sonitus Terræmo-
tum præcedit, quandoque comitatur.

312 Hujus causam esse dicemus impro-
visam inflammationem subterraneam, quod
probatur: 1.^o quia effectus, qui subito oriuntur,
plerumque ab inflammatione existunt.
Cùm enim mineralia invicem adversantia
commiscentur, ea aut inflammantur, aut
subito dilatantur, sicut in mixturis chimi-
cis quamplurimis manifestum est: 2.^o quia
vapor sulphureus qui tunc sentitur, & aqua-
rum ejectiones per fissuras Terræ, & ejus-
modi alia hanc esse inflammationem per-
spicuè evincunt.

313 3.^o Quia Lemeri satis magnam li-
ma-

maturæ ferri portionem cum æquali sulphuris portione immiscuit, quæ communi aquâ admixta, ac sub terrâ posita, tandem fermentescens, solum concussit ac tremefecit, sicut in Terræmotu fieri solet.

314 4° Quia abundè adsunt subterraneis cavernis sulphur ac bitumen, sicut notum est in iis locis, in quibus celebriores Terræmotus extitere, præsertim in viciniis Ætnæ aut Vesuvii & similiū: ergo subitæ horum mineralium inflammationi attribuendus est Terræmotus.

315 Confirmatur, quia sæpissimè contingit, ut, cùm Terra vehementer Terræmotibus concutitur, alicubi erumpunt flammæ, ac ingens fusi sulphuris ac bituminis copia appareat; immò quandoque torrentes igneæ à fissuris montium egressæ conspi ciuntur, ut constat ex Historia Siciliensi & Neapolitana.

316 Etiam verò simile esse dicimus; vaporem aqueum, tamquam causam in Terræmotibus intervenire: 1.° quia vehementis hæc vis in natura reperitur, quandiu vapor calidus aqueus adeſt; aqua enim in calefactis vaporibus expanditur ad spatium 14 millies mājus, quæ vis comparata à Clar. Muschembroeckio cum vi nitrati pulveris accensi novies major invenitur: satis erit ergo ejusmodi causa, ut hæc efficiantur:

tur: 2.^o quia sonitus, qui vel Terræmotum præcedit, vel sequitur, argumentum esse, aerem ac vaporem per fissuras subterraneas vi egrexi, sicut contingit, cùm ventus ingreditur per fenestræ aut januæ fissuras.

317 His positis, differentia patet motuum soli in Terræmotibus; si enim focus fermentationis ad perpendicularum invenitur infra solum, hoc subsultabit, quia elevatio in cavernis subterraneis earum tecta elevabit, ac paululum evaporabitur; unde & pondere suo tecta descendent, iterumque ob eandem rationem elevabuntur, ac evaporato paululum vapore iterum descendunt: sicque perseverabit hic motus, quan- diu inflammatio durat, aut lenis aut vio- lenta.

318 Si verò focus inflammationis versus latera invenitur, cavernæ dilatatio motum trepidationis dabit, aut undulationis; qui quidem inter se non differunt nisi majori vel minori vibrationum tempore. Potest tamen eadem inflammatio in una caverna undulationem efficere in partes oppositas & in omni sensu; quia dum illius tectum elevatur, solum orientale undulationem accipiet ab Oriente in Occidentem, solum verò meridionale undulationem accipiet à Septemtrione ad Meridiem, sicut exper- tum est in celebri Olisponensi Terræmo-

tu anno 1755: exstant enim signa undulationis omnimodæ.

319 Patet 2.^o, cur in ingenti Terræmotu recedit mare, ac postea vehementior irruit contra litora, quemadmodum experti sumus Olisipone. In tribus enim Terræmotibus, qui fuere prima die Novembris anno supradicto, ter mare recessit, & ter iterum irruit: nam elevato solo Olisiponensi, quandiu duravit inflammatio, propter aquarum æquilibritatem, eæ omnimodo defluere debebant; sedata autem inflammatione, dum ad suum locum rediit, aquæ redeuntes (veluti cùm descendit pendulum) magna vi insurgere debebant contra litora, antequam ad suum locum redirent, ac post varias undulations quietserent.

Atque hoc etiam ex iis constat, quæ eodem die acciderunt in insulis Archipelagi Occidentali, quæ vulgò *Antillæ* appellantur; in omnibus enim Insularum litoribus, quæ ad Orientem spectabant, id est ad Olisiponem, mare intumuit, non vero in partibus occidentalibus, et si pars unius Insulæ occidentalis magis esset Europæ finitima, quam alterius pars orientalis; quæ ego à D. *Colomb* accepi ibi tunc commorante. Res autem ita evenit, quia undulatio maris erat ab ortu in occasum, & irruere de-

debebat contra partes Insularum orientales, ei obſtantes, non verò aduersus aliae. Sic autem maris undulatio ſe habebat, quia ſolum Oliſiponēſe, inflammatione elevatum, erat ad Orientem.

320 Patet 3.^o, cur ſæpe in terræmotu quidam fontes exſiccentur, quidam verò erumpant recentes; nam ſuccuſſione Telluris, quædam fissuræ de novo efficiuntur, per quas, aqua anteà ad consuetos fontes deducta, ingreditur: atque inde fit ut in locis ſcaturiginofis deficiat, alibi ſurgat, niempè in locis, ad quæ per novas fissuras deducitur.

321 Patet 4.^o cur quandoque per fissuras, quæ ingruenti terræmotu efficiuntur, vi ſulphurea aqua projicitur: nam vapor aquarius ignibus ſubterraneis calefactus, elasticitatem, ac ſeſe expandendi vim nauctus maximam, egredi fortaffe non potest, quin expellat aquam, quæ in cavernis contineatur, ſicut in tubis communicantibus contingit, cum aquæ inferiorem tuborum partem occupantes per orificium unum inſuflantur, atque per aliud egrediuntur.

322 Quæ verò de Iride tam primariâ quam ſecundariâ, ſicut & de aliis meteoriſ lucidis hoc loco deſiderantur, alibi oportuniū traçtabuntur, quum de Dioptrica & Coloribus locuti fuerimus: tunc enim facilius intelligentur.

§. VI.

De Ventis.

323 **V**entorum alii sunt perennes, alii periodici, alii verò procellosi. Perennes sunt, cùm aer perpetuo fluxu in unam regionem defertur, ut in Zona torrida contingit, ubi perpetuo fluxu aer ab ortu defertur in occasum; specie enim Sol eodem modo movetur, aerque sensim rafescit, ac sensim condensatur, quando Sol regioni superincumbit, ac discedit.

324 Periodici sunt, qui statim temporibus adveniunt, iisque exactis deficiunt, quemadmodum in Æstate evenit, aut in Autumno, cùm ab Aquilone perflant, & in Hieme, cùm ab Austro inveniant. Horum autem ventorum causa, vel a liquefactis nivibus oritur, quæ in Autumno versus Septentrionem solvuntur, versus Austrum in Hyeme, vel etiam ab aliqua effervescentia, aut fermentatione, quæ alternis vicibus efficitur versus Polos propter Solis calorem, cùm hic Planeta etiam alternè declinet modò versus Aquilonem, modò versus Austrum.

Procellosorum autem ventorum ratio perindè se habet, ut ventus ille artificialis,

qui

qui in æolipila excitari solet. Est verò æolipila vas quoddam, cuius tenuë est orificium. Huic si infundatur aqua, eaque urgente calore in vaporem exeat, hic ea vi egreditur, ut ventum validum imitetur: non poterit ergo aquarius vapor in subterraneis cavernis incalescere, quin vi per fissuras Terræ egrediatur, atque ingens efficiatur ventus. Indè fit, ut tanta sit nonnunquam vis venti per quasdam Terræ fissuras egressi, ut in eas pileus vel vestimenta injecta sursum repellantur.


325 Similiter talis nonnunquam exortatur in nubibus fermentatio, ut vapores ibi concreti incalescant, ac velocissimè dilatentur. Adde quod, sicut in fluidis generatim, ità & in aere fieri solet, ubi destructo qualibet ex causa æquilibrio, undulationes increbescunt atque augentur, ad circulorum modum, qui in aqua stagnante, injecto lapide, efficiuntur.

326 Alia item ventorum causa, sicut æstus maris, à Sole vel Lunâ fluit. Eadem enim, quæ aquam movet, causa aerem optimo jure movere debet. Atque ejusmodi causæ tribuendi ii venti, qui, orto Sole aut Lunâ, vel iis in occasum immersis, vel exoriuntur, vel concidunt.

Cùm verò ventus per diversa obstacula vicissim inflebitur, & reflectitur, ut sit in

angulis parietum, Vortex oritur seu Turbo: qui quidem alibi quoque diversis simul causis occurrentibus excitatur. Unde diversæ ventorum causæ variè inter se comparatæ ventos gignunt inconstantes. Aer autem aut elevatur in Atmosphæra aut deprimitur, sicut aqua maris in procellis, & diversæ altitudines columnarum aeris diversas in Barometro altitudines inducunt; quod quidem instrumentum diversitatem potius indicat Atmosphæræ vi ventorum, quam vis siccitatis aut pluviae.

FINIS SECUNDI LIBRI.



L I B E R III.

DE OPTICA, DIOPTRICA ET CATOPTRICA.

C A P U T I.

De Lucis natura, ac proprietatibus.

§. I.

De natura Lucis.

IPercrebuit olim in scholis Peripateticorum opinio, qui Lucem puram qualitatem existimabant, corpore omnino expertem; propterea quod ipsa vitrum, cæteraque pellucida corpora transmearet. Porro qualitates illæ Peripateticæ jam dudum in tenebris conticescunt, ut eas vel horreat nominare; neque hodie Naturalium Disciplinarum ubicumque Lux viget, quemquam fore putabo tam annilibus fabellis addictum, qui existere ullas credat corporum qualitates, quæ nec sunt corpus, nec spiritus. Ideo operam perderet & oleum, qui adhuc in hujusmodi nugis confutandis insudaret, Nobis igitur ista sit

PRO-

PROPOSITIO I.

2 *Lux est materia.*

Primum, quia omnes in ea insunt proprietates ; movetur enim tractim, ac progreditur, et si motu quam celerimo : 2.^o quia, lineam, dum propagatur, rectam sequitur, sicut alia in motu suo corpora : 3.^o quia haec ipsa reticulatam oculi tunicam percutit, sicut corpora mota tactum, ut sentiatur : 4.^o tandem quia Lux ab obstaculo reflectit, sicut corpora sensibilia : Lux igitur corpus est.

Probatur 5. quia Lux & à corporibus attrahitur & repellitur, quemadmodum ab electricis corporibus cætera attrahuntur & rejiciuntur corpora ; quod quidem nequam, nisi Lux esset materia, fieri posset : ergo materia credenda est.

3 Hæc vero objiciuntur : 1.^{um} si Lux corpus esset, duo corpora in se invicem penetrarent, cum vitrum illuminatur : ergo non est corpus. Respondemus, Lucem occupare interstitia, quæ inter vitri particulas relinquentur ; quæ quidem interstitia in vitro, ut diximus (Lib. I. n.^o 133.) sunt ad ipsas particulas saltem ut 17 ad 1.

4 2.^{um} Vitrum totum apparet illuminatum : ergo Lux existit etiam in vitri parti-

cu-

culis. Falsum consequens. Quamquam enim ità illuminatum vitrum appareat, ut nulla oculis umbella percipiatur, plurimæ tamen sunt particulæ, in quarum spatiū Lux non transmeat. Proptereà verò id sit, quod non eodem modo Luce, ac umbrâ sensus afficiuntur, sed illa fortius, hæc remissius incurrit.

Nam si chartâ purâ nigra puncta tenuissima interserantur, tota charta in distan-
tia 20 aut 30 pedum, sic alba conspicie-
tur, ut puncta nigra omnino non discer-
nantur. Similiter ignitum ferrum ità can-
descit, ut pars nulla ferri suum exhibeat
colorem, sed lucidum totum conspiciatur,
quia nimis Lux fortius, ferrum remissius
agit in oculum. Perinde ergo est, quod ad Lucem spectat, si vitri particulas con-
sideres.

Hujus verò materiæ, ex qua Lux efficitur, naturam scrutantes Gassendiani, Lucem statuerunt constare ex particulis glo-
bosis, quæ quidem, dum à corpore lumino-
so motu vibratorio moventur, similes alias eodem modo concitant, undè & sensiferæ redduntur, sive, quod in scholis dicitur,
sensationem excitant. Circa quod sit

PROPOSITIO II.

6 *Systema Gassendianum circa Lucem vanum est.*

Primum quia non posset radius lucis in directum propagari; nam elasticorum globorum series nisi hinc inde retineatur, non potest motum per lineam rectam conservare; si enim globus elasticus in alium similem incurrat per lineam, quæ à centrali declinet, percussio obliqua efficit, quod inurrens versus unum latus inclinet, & versus aliud percussus, ut suo loco diximus. Fieri autem non potest, ut in radio Lucis innumeris penè globulis composito, unus aut alter per lineam non centralem non percutiatur: sufficit autem, ut globus unus à recta serie deflectat, ut series tota turbetur.

7 Deinde vel ex eo rejicitur Gassendianorum sententia, quod falsum sit id, quod tanquam fundamentum assumunt, ad hanc Luminosæ materiæ figuram statuendam; videlicet reflexionem ordinatam radii lucis à corpore lævigate. Hoc autem falsum esse aperte coarguitur: nam si strictius loquamur, particulæ Lucis in corpus lævigatum non impingunt, antequam reflectant; siquidem nulla tunc reflectio ordinata exsisteret, propterea quod nulla sit superficies perfec-

cte

Ctè lœvigata , si cum particulis Lucis con-
ferantur ; sed de hoc posteà .

8 Sed contrà : in hoc systemate omnia
Lucis phænomena optimè explicantur , præ-
cipuè celerrima Lucis propagatio , quæ tem-
poris momento fit , per quodcunque spa-
tium . Positâ enim globorum serie in eo-
dem , in quo primus percuditur , momen-
to , postremus movetur , quin necesse sit ,
ut motu locali & progredienti primus ad
postremi locum deferatur : accuratissimè igi-
tur excogitatum est hoc sistema , atque adeò
cæteris anteponendum .

9 Sed licet ista Lucis celeritas satis ex-
plicetur , plurima tamen supersunt , quæ , ut
diximus , expediri aptè non possunt . Dein-
dè , ut in hoc systemate Lux propagetur ,
tot compressiones , ac restitutiones elasticæ
fiant , necesse est , quot in radio solari glo-
bi reperiuntur . Licet autem compressio una
ac restitutio sit insensibilis , tamen omnes
illæ invicem consequentes restitutiones &
compressiones sensibilem moram afferrent ;
tertius enim globus per restitutionem secun-
di comprimitur , quæ quidem restitutio tum
incipit , cùm compressio desit , & sic dein-
ceps .

10 Prætereà Lucis propagatio non qui-
dem per lineas rectas fieret , sed per quas-
cumque alias , sicut propagatio soni ; si enim

radius unus inter duos impingeret, eorum unus dispergeretur ac divideretur in duos, quemadmodum fit, cum globus eburneus in duos incurrit, eos simul percutiendo; hi namque invicem separantur, ac peculiarem sibi quisque lineam sequitur. Credibile autem est, ut, si quidem tales Lucis globuli existunt, ita comparati sint, ut non aliis super alium verticaliter, sed inter duos quisque collocetur, sicut in globis sensibilibus videmus, cum coacervantur: semper enim unus super duos insitit. Præter hæc, fieri omnino non potest, ut in vibratorio citissimoque motu globuli Lucis sese mutuo percutiant tantummodo per lineas centrales. Itaque potior nobis est illa Newtonianorum.

PROPOSITIO III.

110 *Substantia Lucis est emanatio quædam corporis luminosi.*

Nam primum omnia corpora, quæ Lucem emittunt, sensim extenuantur, sicut in phosphoris contingit; sed nequaquam id fieret, nisi Lux emanatio quædam esset corporis luminosi: ergo, &c. Deinde constat, quia plurima corpora soli exposita, si in perfectissimas tenebras subito transfrantur, Lucem emittunt: sed hoc ita non es-

effet, nisi Lucis particulæ, quæ in illis imbibuntur, luminosæ essent, & quædam Solis emanatio: ergo, &c.

12 Confirmatur, quia hæc ipsa, quæ Lucem amiserunt, corpora, si iterum vel igni, vel Soli admoveantur, amissam vim denuò recipiunt, atque in tenebris lucent: ergo credibile est, particulæ Lucis, quæ à corpore luminoso ad vitum usque perveniunt, vel ad alia corpora, ejusdem esse naturæ, ac luminosum corpus. Idem etiam confirmatur, quia cùm ad corpus aliquod incendio idoneum alia heterogenea corpora miscentur, diversos flamma induit colores; imò verò etiam Lux indè quoquoversùs emissa, eundem colorem præfert, ut similem in visu sensationem excitet, vel similem etiam colorem tribuat corporibus illuminatis: sæpè enim circumstantium vultus pallidi conspicuntur, cùm ad id parata est flamma illuminans: ergo.

13 At, inquiunt 1.º si hæc ità essent, Lux etiam, clausâ fenestrâ, permaneret; siquidem particulæ Lucis, quæ anteà ibi aderant, cùm eadem Solis aut flammæ particulæ essent, domum illuminarent, quod falsum est: ergo & Newtonianum systema.

14 Sed nihil hoc obstat; nam ut particulæ Lucis visûs organum afficiant, motu indigent, ac projectione, qua in organum

incurrere , atque ipsum excitare valeant , atque etiam in corpora illuminata incurrent , ut inde regressæ oculos excitent ad vi- sum. Adde , quod in hoc systemate Lucis propagatio per lineas rectas rectissimè ex- plicatur ; omnis enim projectio quæcumque corporis , dummodò fit simplex , fit per li- neas rectas : quid igitur mirum , si propa- gatio quoque Lucis fiat per lineas rectas ?

15 Opponunt etiam 2. Si Lux quæ- dam esset substantiæ corporis luminosi ema- natio , corpus luminosum sensim extingue- retur : sed hoc est falsum ; Sol enim ab initio persistit : ergo & illud.

16 At nihil efficitur ; quamquam enim Lucis particulas in terrarum orbem Sol dif- fundat continuò , imminutionem tamen , quæ sentiatur , pati non potest. Primum , quia sicut Tellus extenuationem pati nequit , li- cèt perpetuò vapores ex ea ejicientur , quip- pè qui ratione gravitatis ad eam iterum re- deant ; ità omnes Lucis particulæ , quæ à Sole ad Saturnum usque ejaculantur , ite- rum ratione gravitatis versùs Solem , ad eumdem redire coguntur ; extincto enim vel lapidis , vel Lucis impulsu , incipit actio gravitatis : si enim Saturnus ad de- scensum cogitur versùs Solem ratione gra- vitatis , ideoque à tangenti deflectit , Lux quoque eâdem cogetur causâ.

De-